ORBIS GOTHICI, LIBER IV. & Ultimus,

Exhibens.

Præcipuorum Gothici Nominis Populorum

Res Oeconomias.

Sacras

Politicas

Earumque ritus varios.

UT ET

Catalogum Regum Gothicorum,

Variis in Europæ Regnis Celebratiſſimorum

Ex Gothia Sarmatica,

Olim Oriundorum.

Ex Claſſibus Vet. Auctoribus

conſcriptus,

AUCTORE

MATTHÆO PRÆTORIO Memlenſi,

Paracho Weihro-politano.

Sacr. Reg. Maj. Polon. Hiſtorico & Secretario.

ANNO DOMINI M DC LXXXIX.

Typis MONAST. OLIV. Sac. Ord. Ciſtercienſ.

Imprimebat JOHANNES JACOBUS TEXTOR, Factor.

SERENISSIMO
AC
Potentiſſimo Principi ac Domino,
DOMINO
JOANNI III,
Monarchæ Poloniarum Invictiſſimo Magno Duci Lietvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Zamogithiæ, Livoniæ, Volhyniæ, Kyoviæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czerniechoviæque.

Potentiſſimo Exercituum Chriſtianorum Imperatori Patri Patriæ Clementiſſimo.

Dno. Domino ſuo Beneficentisſimo

Orbis Gothici hunc Lib. IV.

Humillimo Devotionis affectu conſecrat.

Matthæus Prætorius,
S. R. M. Hiſtoricus.

Syllabus Contentorum

LIB. IV. ORBIS GOTHICI.

De Triplici Statu Populorum Gentis Gothicæ.

CAPUT I.

De Statu Gothorum Oeconomico, ſive *De Rebus ad Oeconomiam illorum ſpectantibus.* *p.* 1.

§. 1. De Habitationibus Gothorum. p. 2.
2. De Habitu externo Gothorum quoad Corpora. p. 3.
3. De interno corporis Gothorum habitu. p. 5.
4. De Menſis & Conviviis Gothorum. p. 7.
5. De Conjugiis Gothorum. p. 9.
6. De Militia Gothorum. p. 12.
7. De variis Gothorum Studiis. p. 15.
8. De virtutibus & vitiis Gothorum. p. 17.

CAPUT II.

De Sacris Gothicis. *p.* 19.

§. 1. De Diis Gothorum. p. 20.
2. De Ritibus Sacris & DEorum ſimulachris. p. 24.
3. De Divinationibus Gothorum. p. 26.
4. De Miniſtris Sacrorum apud Veteres Gothos. p. 27.
5. De Scientia, Obſervatione temporis, & Feſtis Gothorum. p. 29.
6. De Funerationibus Gothorum. p. 30.

CAPUT III.

De Regimine Veterum Gothorum. *p.* 32.

§. 1. De Republica Gothorum. p. 32.
2. De Electione Regum, deque Conventibus. p. 34.
& Nobilitate Gothorum. p. 34.
3. Catalogus Regum Gothicorum & quidem p. 36.
ad Viſtulam. p. 36.
4. Reges Gothorum in Dacia & Thracia. p. 37.
5. Reges Oſtro-Gothorum in Italia. p. 37.
6. Reges Viſo-Gothorum in Gallia. p. 38.
7. Reges Viſo-Gothorum in Hiſpania, à quibus hujus Seculi Imperatores & Hiſpaniæ Reges ſuam deducunt Proſapiam. p. 38. ſeqq.

LIBER IV.
& Ultimus ORBIS GOTH.
De Triplici Statu Populorum Gentis Gothicæ.

TRiplicem Statum vocamus, *Oeconomicum, Sacrum, Politicum*; eumque in præſenti proponimus triplici Capite, in quod Librum hunc dividimus.

CAPUT I.
De Statu Gothorum Oeconomico,
Sive
De rebus ad Oeconomiam illorum ſpectantibus.

MUlti ſunt in hac materia Authores tum Veteres tum Recentiores. Nos brevitati, (qua gaudet ævum noſtrum) ſuperfluis rejectis ſtudebimus, fuſiorem, quam materia hæc requirit, in aliud commodius reſervamus tempus, aut certè Eruditioribus, & quibus tempus ſuppetit relinquimus tractationem. Proponemus autem res materiam hanc concernentes, verbis ut plurimùm Authorum Veterum, ne videamur vel addidiſſe quidpiam de proprio, vel ſubtraxiſſe ſcitu dignum, & conveniens præſenti materiæ. Hoc tamen imprimis præmonendum venit, Teutonum nationem, quæ modò nomen ſibi vendicat Germanorum, diſtinctam antiquitùs fuiſſe à populis Germaniæ, ad quos Slavi, Gothi, noſtriquæ Sarmatæ olim relati fuerunt, quas tamen gentes plurimi potiſſimùm Recentiorum confundunt, Germanorum & Teutonum nomina pro eodem ſumentes. Quare quæ Recentiores ex Antiquis adducunt, non omnia ſunt applicanda Teutonibus, ſed noſtris potiùs Gothis ac Sarmatis, qui à Veteribus plerumque Germanorum nomine inſigniti ſunt. De quo conferatur lib. 1. c. 3. §. 1. 2. 3. ſeqq.

Teutones diſtincti olim à Germanis.

§. I.
De Habitationibus Gothorum.

Habitationes Gothorum, non habuerunt urbes vel oppida.

QUi res Germanæ gentis referunt, ex veteribus ii nuſpiam quod ſciam, meminerunt *urbium* aut *oppidorum*. Nihil de illis habet J. *Cæſar*, Nihil *Paterculus* : nihil *Dio*, nihil *Marcellinus*, qui tamen multa cum Gothis Germanisque bella geſſit. Non tacet Tacitus, ſed expreſſè [a] *nullas apud illos exſtitiſſe urbes* aſſerit. Equidem Ptolomæus meminiſſe videtur τῶν πολέων id eſt *oppidorum*. At voce hoc *Stationes* hujus gentis *Campeſtres* ac *hybernas vallo foſſaque munitas* inttelligit, atque ita intelligendas eſſe docent nos *Britanni* veteres, hujusmodi Stationes teſte Cæſare Comment. 5. oppida vocitabant. Et Tacitus de Fennis refert. *Fennis mira feritas : nec aliud ferarum imbriumque ſuffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur. Huc redeunt iuvenes : hoc Senum receptaculum. Inde & diſcreti* more Celtarum antiquorum *hi populi habitârunt, prout ſcil. fons aut campus aut ramus in diſcretis diverſisque receptaculis invitabat.* Inde de more Germanorum inquit: Et videtur illis defuiſſe forma & materia vel potiùs ejus uſus. *Nec cæmentorum apud illos aut tegularum uſus, materia ad omnia utuntur informi, aut citra ſpeciem aut delectationem. Quare ædificia illorum facillimè igne depaſci : denſas namque eos habuiſſe ſilvas, ideoque lignis cum abundarent, iis compactis compoſitisq; tabernacula ſibi ſtruxiſſe* refert Herodianus [b] Inde apud Priſcum [c] legimus de *Attilæ*, magni illius bellatoris ædibus, quod totæ fuerint *ligneæ*. Theodorici quoque Gothorum Regis Regia, *Ravenna*, iitidem fuit lignea. Videatur Strabo. [d] Cauſa mihi videtur fuiſſe hæc: quod, ut Strabo l. 7. ait : *facilè & expeditè populi antiqisſimis temporibus ſolum mutarent, in caſis habitantes, ſtructura in unùm diem conſtantibus, agrosque pro numero cultorum per vices ab univerſis occupantes.* Tacitus. Tegularum verò uſus, quod omninò nullus apud illos fuerit, non aſſerimus, *rarum* tamen fuiſſe dicimus, ac diſcimus ex Herodiano c. l. qui ita ait *Rari apud illos lapides lateres cocti.* Scilicet ex his Principum domus in pagis ſuis fuerunt exſtructæ, plebe hinc inde vagante. Cæterùm plebs quoque in *ſubterraneis ſpecubus* deliteſcebat, quod *multo inſuper fimo onerabant, ſuffugium hyemi, & receptaculum frugibus.* Confer. Plinius [e] Mele [f] Virgilius [g] qualia plurimis in locis noſtræ Provinciæ Ruſſia, Liethuania, Ukraina &c. habent. Habebant tamen certa ſibique nota habitationum ſpatia, quæ vicos illi vocabant & pagos. De vicis ita Tacitus : *Vicos*, inquit, *locant, non in noſtrum morem connexis & cohærentibus ædificiis : ſuam quisque domum ſpatio circumdat ; ſive adverſus caſus ignis remedium, ſive inſcitia ædificant.* In ejusmodi ſpaciis videbatur aliqua *ædium congregatio, quæ muro non claudebatur, eamque Burgos* vocabant Burgundiones. Luitprandus, [a] Oroſius, [b] Iſidorus, [c] P. Diaconus [d] Cenſeo ego, Burgos hos illos ipſos eſſe, quos Pruſſi, Zamoge-

Burgi Veterum.

a lib. de moribus German. *b* l. 7. in Vita Maximini. *c* in fragmentis hiſtoriæ Gothicæ. *d* l. 5. *e* l. 19. c. 1. *f* l. 2. c. 1. *g* l. 3. Georg. *a* l. 3. c. 12. *b* l. 7. c. 22. *c* l. 9. c. 2. & 4. *d* l. 11.

mogethæ, Liethuani hodie *Burgwalka* vocant, ad quæ certus ſpectare ſolet vicorum numerus. Nomine verò pagi: certa quædam regio notabatur ſive Territorium. Atque ita intelligendum eſt, quod de *Suevis* refertur, quod *centum pagos* habuerint, ex quibus quotannis ſingula *millia armatorum bellandi cauſa ſuis ex finibus educebant*; reliquis domi, ut ſint, qui ſe & alios alerent, relictis.

§. II.

De Habitu externo Gothorum quoad Corpus.

VEriſſimè Iſidorus [e] obſervavit, nonnullas gentes non ſolùm in veſtibus, ſed & *in corpore aliqua ſibi propria quaſi inſignia vendicare*, ut videmus, inquit, *cirros Germanorum, Granos & Cinnabar Gothorum*. Quare hic conſiderabimus inprimis Habitum corporum externum, quem Gothi ſua ætate habuerunt. Erat autem illis omninò talis, qualis communiter Septentrionalibus populis videtur fuiſſe proprius, teſtantibus id Auctoribus ſcil. *Candida fuiſſe cute gentes, flavis promiſſæ crinibus, truces verò cæli ex rigore.* (ita Plinius [a]) *immanibus corporibus, cæſiis oculis, ſanguine multo*: (Vitruvius) *ad magnum impetum validæ*. Tacitus c. l. *Gallos* præ Italis proceriora habuiſſe corpora referunt Srabo l. 3. & Flor. l. 2. c. 4. Quantum autem Germani Gallos anteſtiterint, Cæſar maximè oſtendit Comment. 1. belli Goth. *Ex percunctatione*, inquit, *noſtrûm vocibusque Gallorum & Mercatorum, qui ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibili virtute atque experientia in armis eſſe prædicabant, & ſæpe numero ſeſe cum his congreſſos, ne vultum quidem & aciem oculorum dicebant ferre potuiſſe.* Hinc Vegetius: *quid adverſus Germanorum proceritatem brevitas potuiſſet audere?* Si tamen Gothorum corporis ſtruem lubet affabrè deſcriptam legere, legat eam è calamo elegantiſſimi Scriptoris Sidonii Apollinar. qui ita Epiſtolâ ad Agricolam: *Poſtulaviſti*, inquit, *ut, quia Theodorici Regis Gothorum commendat fama civilitatem, literis tibi formæ ſuæ quantitas ſignificaretur. Pareo libens, in quantum epiſtolaris pagina ſinit. Si forma quæritur, corpore exacto, longiſſimis brevior, procerior eminentiorque mediocribus: capitis apex rotundus in patulum, à planicie frontis in verticem Cæſaries refuga criſpatur. Cervix non ſedet nervis, geminos orbes hiſpidus ſuperciliorum coronat arcus. Si verò cilia flectantur, ad malas medias palpebrarum margo prope pervenit. Aurium ligulci, ſicut mos gentis eſt, crinium ſuperjacentium flagellis operiuntur. Naſus venuſtiſſimè incurvus, labia ſubtilia, nec dilatis oris angulis ampliata, pilis intra narium antra fruticantibus, quotidiana ſucceſſio, barba concavis hiſta temporibus; quam in ſubdita vultus parte ſurgentem, ſtirpitùs tonſor aſſiduus genas ad usque forficibus evellit. Menti, gutturis, colli, non obeſi, ſed ſucculenti, lactea cutis: quæ propius inſpecta, juvenili rubore ſuffunditur. Nam hunc illi crebro colorem, non ira, ſed verecundia facit. Teretes humeri, validi lacerti, dura brachia, patulæ manus, recedente alvo pectus accedens, arcam dorſi*

Habitus corporis Gothorum externus.

e l. 19. Ethymolog. c. 23. a l. 2. c. 78.

ſi humilior inter excrementa coſtarum ſpina diſcriminat. Tuberoſum eſt utrumque muſculis prominentibus latus. In ſuccinctis regnat vigor ilibus. Corneum femur. Internodia poplitum benè muſcula. Maximus in minimè rugoſis genibus honor, crura ſuris fulta turgentibus, & qui magna ſuſtentat membra, pes modicus. Idem Sidonius Epiſtola ad Domitium: *Sigismerum* Regium Gothorum juvenem hiſce depingit verbis: *Cum tamen hoc magis ibi decorum conſpiciebatur, quod præcurſoribus ſuis, pediſſequis pedes & ipſe medius inceſſit, flammeus croco, rutilus auro, lacteus ſerico, tam cultu tanto coma rubore cuti concolor.* Inde non mirandum eſt, quod *Beliſarius* tantus Heros, *Gothorum agmen præ eximia corporum ſpecie ac magnitudine miratus ſit.* Procopius [a] *Oculos* Gothis attribuit *cæſios* & *glaucos.* Sidonius ita de Herulis occinens:

Hic glaucis Herulus genis vagatur,
Imos Oceani colens receſſus
Algoſo prope concolor profundo.

Capillos alebant iidem. Inde *capillati* & *hirſuti* olim Romanis audierunt. Ita de iis Ovidius. de Ponto. l. 1. Eleg. 9.

Aſpicit hirſutos cominus una Getas.

Et lib. 1. Triſt. Eleg. 7. de iisdem:

Non coma, non ullâ barba reſecta manu.

Etiam à ſuis Principibus ſic appellati ſunt: Unde apud Caſſiodorum [a] Theodoricus Rex Gothor. ſuos non ſemel *capillatos* vocat. Inſigne quoque gentis hujus præprimis tribûs Svevicæ fuit; *obligare crinem, nodoque ſubſtringere.* Teſte Tacito. Diodorus de noſtris Germano-Gothis loquitur: *Crines à fronte ad verticem atque inde ad cervicem retorquent, ut eo magis ſint conſpectui: ita ut Satyros & Panas aſpectu referant. Cultura enim ita denſantur crines, ut ab equorum jubis nihil differant.* Cui genuina ſunt, quæ habet Clemens Pædag. l. 3. c. 3. *Celtæ,* inquit, *atque Scythæ comam nutriunt; at non ornatûs gratiâ. Terribile quiddam in ſe habet, barbarum benè comatum eſſe, & flavus ejus color bellum minatur ceu cognatus ſanguini. Ita procedebant bello. Scilicet: in altitudinem quandam & terrorem, adituri bellum, compti.* Tacit. c. l. Conf. Senec. l. 3. de Ira c. 26. Utque eo magis Comarum jubar ſplenderet, utebantur ad hoc *aceto* & *butyro.* Ita Sidonius, de Burgundionibus. Cam. 12.

Barbarum quoque apud eosdem populos erat non minima cura. Iſidorus c. l. dicit; proprium quaſi fuiſſe Gothis, *Granos & Cinnabar habere.* Per Granos non malè Voſſius [a] *pilos myſtacis* intelligit. De hoc barbarum cultu Diodorus hæc habet: *Barbas nonnulli abradunt: quidam modicè alunt. Nobiles quidem tonſura genas lectigant, ut myſtaces demittant ita, ut ora eorum obtegantur.* Planè expreſſit præſentem Nobilium noſtrorum morem, quibus ut abradere barbam, ita my-

a lib. 3. Hiſt. Goth. b l. 4. Epiſt. 49. in Edict. c. 195. a l. 2. de Vit. Serm. c. 8.

myſtacibus abundare ſolennis gloria eſt. *Ideo*, pergit idem. *cum edunt, pilis cibi implicantur: cum bibunt ceu per colum potus dimanat.* Tale quid de Britannis tradit Cæſar. com. v. & de Francis Sidonius.[b] His certè annumerandi ſunt noſtri in Sarmatia ephebi, quos vulgus Pacholcos vocat. Cæterùm *Fœminas* Gothorum *formoſas* fuiſſe teſtatur Procopius lib. 3. rerum Vandalicar.

§. III.

De Interno Corporis Gothorum habitu.

Internus Gothorum habitus.

DE eo ita Veteres produnt: quod à parvulis *duritiei & labori* ſtuduerint. Cæſar[c] Mela[d] ſimilia his habet Seneca.[e] Et Appianus in Celticis de Ariaviſti dicit milite Svevo-Marcomanno, quod *frigoris æſtûsve* juxta fuerit patiens. Et talis, certè miles noſter eſt in Polona Sarmatia usque adhuc, qui frigoris æſtûs, famis & ſitis longè patientior eſt, quam Italus vel Gallus vel ipſe etiam Teuto. Id quod maximè in Expeditionibus noſtris Scythicis ſole meridiano clarius elucet. Quare noſtri Sarmatæ cæteris opponere nationibus ferè audent id, quod ille olim Gothorum ſeu Getarum Rex *Atheas Philippo* Macedoni, militum ſuorum in militando peritiam objectanti oppoſuit: *Macedonem habere milites pugnandi peritos; ſe habere qui famem & ſitim tolerare poſſent.* Talem verò in noſtris Gothis videtur duritiem induxiſſe *ſæpius iterata lotio. Quotidie enim ſe lavabant*; Tacito ſic referente. Quotidiana quamvis fuerit lotio, tamen omnium *miras fuiſſe ſordes.* Plinius[f] teſtatur *eos buthyro inungi ſolitos fuiſſe.* Acceſſit aſſvetudo, quæ altera quaſi eſt natura. Aſſveverunt Gothi nudi plerumque agere, more Maſlegethorum, quod Strabo lib. 11. & Herodotus l. 1. teſtantur. Ita vivebant ante poteſtatem ad *vigeſimum* usque *annum.* Cæſar verò de noſtris Germanis ita: *Intra annum vigeſimum* inquit, *fœminæ notitiam habuiſſe in turpiſſimis habent rebus. Cujus rei nulla eſt occultatio; quod & promiſcuè fluminibus perlucentur: & pellibus ac parvis rhenorum tegumentis utuntur, magna corporis parte nuda. Ea quippe illos conſvetudo indurat*, (verba ſint Cæſaris Com. 4. *ut locis frigidiſſimis neque veſtium præter pelles habeant quidquam, quarum propter exiguitatem magna eſt corporis pars aperta*: Cæterùm ut de Veſtitu dicamus: *Viri ſago velabantur aut libris arborum.* Mela c.l. Tacitus verò. *Tegumen*, ait, *omnibus ſagum, fibula, aut ſi deſit ſpinâ conſertum, cæteri intecti totos dies juxta focum & ignem agunt. Locupletiſſimi veſte diſtinguuntur, gerunt & feramur pelles.* Hinc Claudianus.

Quotidiana lotio Gothor.

Veſtes Gothorum.

Crinigeri fere Patres, pellita Getarum
Curia, quos plagis decorat numeroſa cicatrix,
Et tremulos regit haſta gradus, & nititur altis
Pro baculo contis, non exarmata Senectus.

B Simi-

b Carm. 5. c Comm. 6. d lib. 3. c. 3. e lib. 1. de Irac. 11. f lib. 11. c. 41.

Simile videre adhuc eſt in plebe Lietvanorum, Zamo-Getharum, Nadravorum, Zalavonum, quæ etiam Sago, quod *Wepen* ſuâ nativâ vocant linguâ, ſe adhuc velant, præſertim *mulieres*; quæ variegatis: Viri; ſimplicibus & ſæpiùs villoſis utuntur ſagis. Similiter per tot Ruſſo-Lietuaniam, Zamogethiam, reliquiæ reperiuntur tegumentorum ex *corticibus arborum*, ſcilicet quibus vice *Calceorum* utuntur; quos *Wyżes* vel *Paresges* ſuâ linguâ vocant. Hæc tamen tegumenta pedum fuerunt Colonorum & Ruſticorum: Nobilium verò *pedes*, ait Sidonius Epiſt. 20. l. 4. *Primi perone ſetoſo talos ad usque vinciebantur.* Horum calceorum uſus adhuc apud noſtrates Gothos eſt & vocabulo Gothico *Naggines* vocantur. Similes erant *Calcei Langobardorum*, quos P. Diaconus l. 4. nobis ſic deſcribit: *Calcei erant usque ad ſummum pollicem pene aperti, & alternatim laqueis corrigiarum retenti.*

Foeminarum Mundus.

Nec alius *Fœminis*, quàm viris olim fuit habitus: niſi quod fœminæ ſæpiùs *lineis amictibus* velabantur: *eosque purpurâ variabant, partemque veſtitûs ſuperioris in manicas non extendebant, nuda brachia & lacertos: ſed & proxima pars corporis patebat, quanquam ſevera illic matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaveris.* Hæc Tacitus. Romani tamen hæc omnia pro ſorditie reputabant. Inde Tacitus c. l. *Sordes omnium & torpor.* Sidonius *communes omnium ſordes* vocat. Mulieres tamen Principum ſæpè *egregium* habuêre *mundum*; de quo Procopius l. 3. H. S. *Inter Urajam*, inquit, *Udibaldumque inimicitiæ interceſſêre: Erat Urajæ tunc uxor, quæ ut opulenta, muliebrem mundum, præ cæteris* Gothorum *fœminis conſecuta, ita & egregia corporis forma primatum facilè obtinebat. Hæc verò inter alias barbaras magno cum apparatu ornamentorum & Veſtium, cum in balneum ſemel, curandi corporis gratia veniret Udibaldi in eo uxorem lineis obductam veſtibus conſpicata, non ceu* Gothorum *Regi matrimonio junctam, ut docuit, venerata eſt, ſed contemptim de ea potiùs loqui & denique aſpernari.* Ad talem veſtitum alludit Claudianus 2. in Eutrop. *Huic.* (Targibulo Gothor. Duci) *ſeſe vultu ſimulatæ conjugis offert.*

Mentitoque ferox incedit barbara greſſu,
Carbaſeos induta ſinus, poſt terga reductos
Uberibus propior mordebat fibula veſtes:
Inque orbem teretri mitra redeunte capillum
Strinxerat, & virides flaveſcere juſſerat angues,
Advolat & niveis reducem complectitur ulnis.

De *Stratis* gentis hujus populorum, quod ſciam nihil nobis Veteres referunt Authores, præter quod Tacitus de Fennis, circa viſtulam olim habitantibus, quod humi cubaverint. *Fennis*, inquit, *mira feritas, fœda paupertas; non arma, non equi, non penates; victui herba, veſtitui pelles, cubili humus.*

§. IV.

§. IV.

De Menſis & Conviviis Gothorum.

CIbus Gothorum, teſte Cæſare Com. 4. *non multum frumentum, ſed maxima pars fuit lac & pecus.* Tacito verò referente, *agreſta* illis fuiſſe *poma, recentem feram aut lac concretum.* Sic quoque Scythæ ut Herodotus l. 4. habet, ex pecoribus vivebant. *Panes illis erant* (ut de Gallis olim Poſidonius apud Athenæum refert, *pauci*; at *multæ carnes.* Cauſa videtur eſſe, quod agriculturæ teſtante Cæſare, non adeò ſtuduerint; quare *nec multùm frumento vixerint, nam cum ubertate & amplitudine ſoli labore non contendebant,* ut *pomœria conſererent, hortos ſepirent & prata rigarent.* Tac. Ideo *contenti ſæpiùs herbâ*, quod Tacitus de Fennis refert, quod eorum victus herba fuerit. Appianus de Marcomannis: *In egeſtate*, inquit, *herbis victitabant, equi virgultis. Victu autem tali aſperabantur.* Unde Mela. cl. *Victu*, inquit, *ita aſperi inculti ſunt, ut carne etiam cruda veſcantur, aut recenti, aut etiam rigentem in ipſis pecudum ferarumque coriis, manibus pedibusque ſubigendo renovarunt.* Cibus Gothorum.

Potus tamen non idem fuit Gothis in uſu. Primus illis fuit ex frumento, qui modo *Cerevisia* Latinis audit, ducta voce non à *Cerebro*, quod quidam ingenioſus effinxit Neovates, alludens hoc diſticho ad frequentem illius potum in quodam notatum. Potus Gothorum.

Unde ſuum quæris ducat Cereviſia nomen?
Quod cerebrum viſat ſæpe Sabelle tuum.

Sed à *Cerere*, eò quod hic potus ex Cerere fiat, ſive excocta Cereris vis in illo ſit. Germanis autem, Italis, Gallis, Britannis &c. ſalva cujusque lingvæ dialecto **Bier** dicitur, quod vocabulum videtur originem traxiſſe à voce Gothica *Biera*, ſeu prout nunc communiter blandiendo effertur *Bierula*; qua voce frumentum omne appellant, Ruſſo-Lietvani, Nadravi, Zalavones, Curones, ex qua cereviſiam coquere ſunt ſoliti. *Vinum* Gothi non curabant. *Imò* Svevi, teſte Cæſare com. 6. *Vinum ad ſe importare non ſinebant, quod eâ re ad laborem ferendum emolleſcere homines atque effæminari arbitrati* ſint. Quanquam proximi ripæ ad Rhenum, de quo Tacitus, etiam *vinum mercati* ſunt. Unde idem Cheruſcis vinolentiam exprobrat, qui ad Gothos quoque noſtros referendi videntur, utpote cum Svevis Marcomanniſque ad Albim manentes, neque tamen vinum illis advehi ſinentibus. Puto, ſi vinolentia Albianis populis exprobranda ſit, ex rei veritate, Tacitum vini nomine intellexiſſe *Cereviſiam*, quam ille nobis his verbis deſcribit: *Potui humor ex hordeo aut frumento in quandam vini ſimilitudinem corruptus.* Hinc de illorum rixis loquens ait: *Crebræ ut inter vinolentos rixæ.* Succeſſu tamen temporis Gothi Romanis immixti etiam vina aſſveverunt ſtrenuè haurire. Præterea bibebant illi, potiſſimùm plebs, *Lac* & *Aquam*, potum omnium mortalium ab initio fere mundi communiſſimum. Strab. b.7. Non autem ſo-

ſolum *lac* ex *vaccis* vel *ovibus*, ſed & *equinum* potabant. Cromer. lib. 3. de Origine & geſtis Polon. Adam. Bremenſis dicit, quod etiam *lacte & cruore uſi ſint in potu ad ebrietatem usque.* Olim ita vivebant Geloni Getæque teſte virgilio, l. 3. Georg. v. 461.

--- --- --- acerque Gelonus.
Cum fugit in Rhodopem atque in deſerta Getarum,
Et lac concretum cum ſangvine potat equino.

Convivia Gothor. Nihilominùs fuerunt apud Gothos *Convivia*, ad quæ *armati* procedebant, de quibus Tacitus. *Lauti quoque illi cibum capiebant, & ſeparata ſingulis ſedes & ſua cuique menſa:* quæ *leviter* (juxta Poſidonium apud Athenæum l. 4. c. 13.) *à terra extabat.* non tamen, quod Diodorus lib. 5. de Germanis & Gallis habet, cibum capiebant, *ſedentes in ſedilibus, ſed humi, pro ſtragulis, luporum & canum exuvias ſubjicientes.* Ita noſtri Scythæ & Coſaci in Ukraina adhuc faciunt. *Egregiis autem viris pulcherrimas carnium portiones honoris cauſâ apponebant.* Diodorus c. l. *quarum membra integra,* (ſi Athenæo credimus) *leonum ritu ambabus extollentes manibus morſu dilaniabant. Si quid verò difficiliùs divellebatur, cultellis id præcidebant, qui vagina tectus & loco peculiari conditus in propinquo erat.* Ita hic de Gallis, quos cum Germanis noſtris antiquitas ſæpè confundit. Habebant etiam Gothi ad potum *vaſa:* eaque diverſa. Plebs utebatur tum *urorum cornibus*, quæ ſeptentrionalibus ferè populis propria fuerunt. Plinius l. 2. c. 17. Ea autem pocula ex urorum cornibus (referente Solino in Polyhiſt. c. 23.) *ut ob inſignem capacitatem inter regias menſas potuum gerula facta ſint.* Ejusmodi cornua noſtri in Patria Majores in conviviis olim adhibuerunt, imò etiam Patrum noſtrorum memoriâ. Teſtatur id A. Guagninus vel potiùs Matth. Strykowsky in Sarmatia Europ. Jam verò tempore hoc, quo vivimus, cum Uros capere Regale ſit & Principum, cornuum hujusmodi uſus ceſſavit, neque in Lietvania Zamogethia, Pruſſia ſpectantur. Attamen ex metallo vel ligno, aut argilla talia ibi præparari videmus, quæ formam & colorem eorundem cornuum ſæpius imitantur. Plebs tamen in Nadravia loco uri cornuum bubulis utitur, quæ in pocula efformat, more veterum Germanorum. J. Cæſ. l. 6. de bell. Gall. c. 5. & more Thracum Xenophon. l. 7. de Exped. Cyri. Habebant Gothi & Pateras, ex *oſſe capitis humani*, quas *Schalas* vocabant, de quibus ita Paulus Warnefrid de Geſt. Longobard. l. 1. c. 27. *In illo prælio*, inquit, *Alboin Chunimundum occidit, caputque illius ſublatum ad bibendum ex eo poculum fecit, quod genus poculi apud eos Schala dicitur.* Hoc poculi genus com̃uniſſimum adhuc eſt, noſtris Gotho-Pruſſis, Lietvanis, Zamogethis, Curonibus, quod illi *Kauſzeles* pro hodierna dialecto efferunt, quæ vox ita pronuncianda eſt, ut primæ Syllabæ tonus brevior, longior autem media audiatur. Inſuper habebant Gothi alia eaque varia, imò etiam de metallo pretioſo, vaſa. ſcil. argentea, quæ apud illos non pluris, quam fictilia æſtimabantur. Unde Tacitus inquit:

quit: *Apud illos argentea vaſa, Legatis ac Principibus eorum, muneri data, non in alia vilitate, quam quæ humo finguntur.* In ſuis verò conviviis Gothorum populi pro ſalute & honore Regum Principum & Amicorum bibere ſolebant. Ita apud Warnefr. [a] legitur, quòd *Grimoaldus* Rex Bertaritum inebriatum è medio tollere decreviſſet, ni aulici Regis ad eum unà cum diverſis ferculorum generibus potiones afferre juſſiſſent, *Regis nomine deprecantes, ut in ejus honorem phialam ebiberet totam. Bibebant autem, poſtquam ſurrexerint ſtantes*, quod patet ex Priſco in Hiſtor. Goth. ubi refert, quod Hunni & Gothi in honorem *Attilæ* ita fecerint. Verba Auctoris ſunt: *Poſtquam obſonia primorum ferculorum fuere conſumpta, omnes ſurreximus, neque priùs quisquam noſtrum ſurgens ad ſedem ſuam eſt reverſus, quam ſibi traditam pateram vini plenam Attilam ſalvum & incolumem precatus ebibiſſet.* Non autem tantùm in vivorum ſed in *mortuorum* quoque bibebant ſalutem. Locc. in Antiquit. Goth. c. 22. quem morem apud Nadravorum plebem Lietvanorum & Curonum videre licet dum primum poculum præſertim in conviviis funeralibus, animæ, ut dicunt demortui libant, ſimulque eſculenta in terram ſubmenſalem projiciunt. Neque viros tantum ſed & *fœminas* interfuiſſe conviviis probabile eſt. Ita de Slavis in Illyrico refert Hermippus apud Athenæum, [b] *eos* ſcil. *potâſſe ductis in conventum uxoribus, quibus indecorum non ſit, cuivis eorum, qui adſunt præbibere*, qualis mos apud Nadravos Zalavonas in Pruſſia, Lietvanos, Zamogethas, in ruſtica gente adhuc durat. Convivantibus aderant *Miniſtri.* Miniſtrabant autem plerumque *fœmellæ juxta & maſculi*, pueritiæ limites nondum egreſſi. Ita Diodorus l. 5. Sed & *viri*, qui ſæpiùs munus *præconum* ſuſtinebant. Priſcus verò hæc de Conviviis Gothicis in ſua refert Hiſtoria. *Adveniente veſpera, ſublatis epulis, duo viri Scythæ coram Attila prodierunt, & verſus à ſe factos, quibus ejus victorias & virtutes bellicas canebant, recitârunt; in quos convivæ oculos vultusque defixerunt. Et alii quidem verſibus delectabantur; aliis bellorum recordatio animos exſuſcitabat; aliis manabant lachrymæ, quorum ætas affecta reddiderat corpus aſſvetum & imbecillum, ex quo eorum purgandi ardor & cupiditas quieſcere cogebatur.* Hæc convivia extendebantur ad *tertiam* usque *vigiliam.* Ita enim Marcell. l. 17. *dum hæc*, inquit, *celerantur, Hortarius Rex nobis ante fœderatus, non novaturus quædam, ſed amicus finitimis quoque ſuis, Reges omnes & Regulos & Regales ad convivium corrogatos retinuit epulis, ad usque vigiliam tertiam more gentili extentis.*

§. V.

De Conjugiis Gothorum.

DIverſa tradunt Authores de hac re. Tacitus c. l. de Germanis ad quos Gothos quoque referimus noſtros agens ita ait. *Severa illic matri-* **Conjugia Gothorum.**

C

a lib. 5. de Geſt. Longob. b lib. 8. c. 3.

matrimonia: nec ullam morum partem magis laudaveris; nam prope ſoli barbarorum ſingulis uxoribus contenti ſunt, exceptis admodùm paucis, qui non libidine, ſed ob nobilitatem pluribus nuptiis ambiuntur. Melius quidem adhuc eæ civitates, in quibus tantum virgines nubunt, & cum ſpe votoque uxoris ſemel tranſigitur: Sic unum accipiunt maritum, quomodo unum corpus, unamque vitam: nec ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas; ne tanquam maritum, ſed tanquam matrimonium ament. Jul. Cæſ. Comm. 1. de Arioviſto Svevo-Gothorum & Marcomannorum Rege refert, quod *duas* habuerit *uxores*; unam *Svevam* nomine, alteram *Noricam*. De *Peucinis* verò Gente Gotho-Germanica Tacitus ſcribit, quod *connubiis mixtis in Sarmatarum habitum fœdati fuerint.* Conjectura eſt, Authores præcitatos videri potiſſimùm ſcribere de Gothicis populis extra Patriam vagantibus, non autem in Patria manentibus. Quare hæc ita conciliari poſſunt, ut ſcil. Gothi in Patria reſidentes, multas tunc in morem Sarmatarum habuerint uxores: In expeditionibus verò bellicis ſinguli plerumque ſingulis contenti fuerint uxoribus. *Sera fuit tamen Juvenum Gothorum venus.* Tacitus. *In annum XXum fœminæ notitiam habuiſſe, in turpiſſimis habitum rebus. Hoc ali ſtaturam, ali hoc vires, nervos confirmari putabant. Quare qui diutiſſimè impuberes permanſerunt*, inter ſuos ferebant *tandem.* Julius Cæſ. Com. 6. *Dotem non uxor marito, ſed maritus uxori offerebat. Horum parentes & propinqui, qui præſto erant, munera probabant. Munera non ad delicias muliebres quæſita, nec quibus nova nupta comatur; ſed boves & frenatum equum & ſcutum cum framea, gladioque. In hæc munera uxor accipiebatur, atque invicem ipſa armorum aliquid viro afferebat. Hoc maximum vinculum: hæc arcana ſacra; hos conjugales Deos arbitrati. Ne ſe mulier extra virtutum cogitationes, extraque bellorum caſus putet, ipſis incipientis matrimonii auſpiciis admonebatur, venire ſe laborum periculorumque ſociam, idem in pace, idem in prælio paſſuram auſuramque. Hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denunciabant. Sic vivendum, ſic pereundum accipere ſe, quæ liberis inviolata & digna reddat.* Cæterùm *Nulli*, teſte Saxone [c] *quondam illuſtrium fœminarum connubiis idonei cenſebantur, niſi qui ſibi ingens famæ pretium geſtarum inſigniter rerum fulgore ſtruxiſſent, ſummum in proco vitium deſidia fuit. Nihil magis in nuptiarum petitore, quam claritatis inopia damnabatur. Sola gloriæ ubertas cæterarum rerum opulentiam exhibebat. Puellæ quoque non tam procantium ſe formas, quam edita ſpecioſè facinora merebantur.* Barbarum tamen videtur eſſe, quod *bello & raptu maritatæ* fuerint; quo tamen nihil olim glorioſius habitum. Cujus rei reliquiæ videntur adhuc ſupereſſe in Zamogethia, Nadravia Zalavonia, ubi quidem multis proci ambiunt ceremoniis nuptam, attamen obtento conſenſu à Parentibus, ſæpiùs belli & raptûs fingunt ſpeciem Armis quaſi ac belli jure accipere ſe in uxorem puellam. Amor Conjugalis in his populis ſemper fuit laudatiſſimus. Quare *præ oculis & in proximo habuerunt pignora: unde fœminarum ululatus audiri, unde vagitus*

c l. 5. Hiſt. Dan. p. 69.

tus infantium. Hi cuique ſanctiſſimi teſtes, hi maximi laudatores. Ad matres ad conjuges vulnera ferebant, nec illæ numerare, aut exſugere plagas juvabant. Exemplum amoris conjugalis refert idem Tacitus in annotat. l. 1. de *Arminii uxore* loquens. *Pugnatum*, inquit *in obſedentes; & ereptus Segeſtes, magna cum propinquorum & clientum manu, fuerunt fœminæ nobiles: inter quas uxor Arminii, eademque filia Segetis, mariti magis quam parentis animo.* Mec minor maritorum amor, in conjuges. Tacitus idem, *Memoriâ proditum*, ait, *quaſdam acies, inclinantes jam & labantes, à fœminis reſtitutos, conſtantia precum, & objecta pectorum, & monſtrata cominùs captivitate. Quam longè impatientiùs fœminarum ſuarum nomine timent: adeò ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obſides puellæ quoque nobiles imperantur.* Speciem maritalis amoris exhibuit uxori ſuæ *Arminius*, teſte Tacito c. l. *Arminium*, inquit, *ſuper inſitam violentiam rapta uxor, ſubiectus ſervitio uxoris uterus, vecordem agebant volitabatque per Cherſucos, arma in Segeſtem, arma in Cæſarem parcens.* Fortitudo cum his ac duritia Gothicani mulierum celebratur apud Authores, quàm cum Thracibus Scythisque communem habebant. *Hæ* namque *agros colebant, inter operandum ſæpè infantes lavabant, & faſciis involutum ad flumen aliquod inclinantes.* Strab. l. 3. quod idem de Germanis refert Galenus l. 1. de tuenda ſanitate. De Thracibus Sidonius Apollinar. Carm. 2. de Jazygibus Valir. Flaccus Argonuntio. l. 6. Claudian. in Ruff. l. 3. In educandis liberis Gothorum mulieres plurimùm ſollicitæ erant, *ſuis quemque mater uberibus alebat, nec ancillis ac nutricibus delegebantur.* Tacit. de Germ. De cætero videbatur quædam in Cothis negligentia corporum, ut eò robuſtiores redderentur, eorum artus & validiora corpora. Inde in omni domo *nudi ac ſordidi in hos artus in hæc corpora admiranda excreſcebant.* Tacit. *Dominum enim & Servum nullis educationis deliciis dignoſcere quis poterat: Inter eadem pecora, in eadem humo degebant, donec ætas ſepararet, ingenuos virtus cognoſceret.* Officia domeſtica, quonam modò adminiſtraverint docet nos Tacitus. c. l. Cujus verbis in præſenti loquor. Ita ille: *Servis non in noſtrum morem deſcriptis per familiam miniſteriis utebantur, ſuam quisque ſedem, ſuos penates regebat. Frumenti modum dominus, aut pecoris aut veſtis ut colonorum jungebat, & ſervus hactenus parebat. Cætera domus officia uxor & liberi exſequebantur.*

Armis tamen *tractandis* aſſveſcere liberos ſuos volebant Gothi, quare quod de Cattis Tacitus ait, id de Gothis quoque dicendum hic puto: *Nec major*, inquit ille, *apud Cattos peditum laus, quàm Tencteris equitum. Sic inſtituere majores; poſteri imitantur. Hi luſus infantium, hæc juvenum æmulatio; perſeverant ſenes.* Et quamvis pueri Gothorum exercere ſe armis in dies diſcerent, eaque occupatio illorum foret & palæſtra Martis, non tamen ſtatim arma tractare licitum illis fuit, niſi pubertatem egreſſis quare Tacitus c. l. ait: *Arma ſumere non ante cuiquam moris, quam civitas ſuffectum probaverit.* In defectu *liberorum cura* erat *propinquorum.* Ita idem Tacitus c. l. *Si libe-*

liberi non ſunt, proximus gradus in poſſeſſione, fratres, patrui, avunculi. Quanto plus propinquorum, quo major affinium numerus, tanto gratioſior ſenectus, nec ulla orbitatis pretia.-- Sororum filiis idem apud Avunculum, qui apud Patrem honor. Quidam ſanctiorem arctiorem hunc nexum ſangvinis arbitrabantur; & in accipiendis obſidibus magis exigebant, tanquam ii & animum firmiùs & domum latiùs tenerent.

§ VI.

De Militia Gothorum.

Militia Gothorum.

INter primaria Gothorum ſtudia fuit *res militaris*, more Germanorum ferè omnium de quibus Tacitus c. l. *Si civitas*, inquit, *in qua orti ſunt, longa pace & otio torpeat; plerique nobilium adoleſcentium petunt ultrò eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt, quia & ingrata genti quies, & faciliùs inter ancipitia clareſcunt, magnumque comitatum non niſi in bello lucrantur. Exigunt enim Principis ſui liberalitate illum bellatorem & equum, illam cruentam victricemque frameam. Nam epulæ, & quamquam incompti, largi tamen apparatus, pro ſtipendio cedunt, materia munificentior per bella & raptus.* Ante Tacitum J. Cæſar. Com. 6. hæc de iis: *Vita omnis miſerationibus & ſtudiis rei militaris conſiſtit. Et civitatibus maxima laus eſt, quàm latiſſimas circum ſe vaſtatis finibus ſolitudinis habere.* Adeo agnatum quaſi ipſis fuit ſuper libidinem *cuncta armis agere*, ut Tacit. c. l. inquit: *Nec arare terram aut expectare annum tam facilè perſuaſum fuit, quam vocare hoſtes & vulnera mereri. Pigrum quinimo & iners videbatur, ſudore acquire, quod poſſet quis ſangvine parare.* Sic latrocinia nullam habebant infamiam, quæ extra fines cujusque civitatis fiebant, quare ſolenne ipſis fuit, *ſemper arma geſtare*, quem morem Sarmatæ noſtri præ cæteris ferè nationibus tenaciſſimè adhuc retinent; neque ſolùm milites ſed cuncta Polona Nobilitas, cui ignobile eſt, non armatum, ſive non frameatum prodire in publicum; longè etiam extra caſtra & belli metum: adeò ut proprium & inſigne nobilitatis, eſſe videatur arma appenſa lateri. Neque defuit Gothis ſcientia arma tractandi, bellaque gerendi. *Multùm* verba ſunt Tacit: c. l. *ut inter Germanos* (ſcil. ut eſt capax Germanorum genius) *rationis & ſolertiæ præponere electos, audire præpoſitos, noſſe ordines, intelligere occaſiones, differre impetus, diſponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare: quodque rariſſimum, nec niſi ratione diſciplinæ conceſſum, plus reponere in Duce, quàm in exercitu; omne robur in pedite: quàm ſuper arma, ferramentis quoque, & copiis, ornatu. Alios ad prælium ire videas, hos ad bellum, rari excurſus & fortuita pugna. Equeſtrium tamen virium id proprium; citò parare victoriam, citò cedere, velocitas juxta formidinem, cunctatio propior conſtantiæ eſt. Certa ratione & conſilio præſtantiſſimorum hæc omnia peragebantur, quibus tamen auſpicia & ſortes præmittebant; quæ ſi prohibuerant, nulla de eadem re in eandem diem conſul-*

conſultatio habebatur: faventibus auſpiciis, mox Rex vel Princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia erat, audiebantur; auctoritate ſuadendi magis, quam jubendi poteſtate. Si diſplicuit ſententia, fremitu aſpernabantur: ſi placuit, frameas concutiebant. Honoratiſſimum quippe aſſenſûs genus erat, armis laudare. Decreto bello *Dux* eligebatur, cui *vitæ necisque poteſtas* collata eſt. *J. Cæſ. Com. 6.* Gothi Duces ſuos appellabant *Judices*, teſte *Marcellino, lib. 17.* ubi de *Athanarico* Gothorum Principe loquitur. *Duces* autem teſte Tacito, *exemplo potiùs, quam imperio, ſi prompti, ſi conſpicui, ſi ante aciem agent, admiratione præerant.* Cæterùm, *neque adimadvertere, neque vincire, neque verberare quidem, niſi ſacerdotibus permiſſum. Expetebantur legationibus & muneribus ornabantur, & ipsâ plerumque famâ bella profligabant. Cum ventum in aciem, turpe Principi virtute vinci, turpe comitatui virtutem principi: Principes pro victoria pugnabant, comites pro Principe.* Duces Gothorum eorūq; auctoritas.

Quæ autem *ratio colligendorum militum* illis fuerit, eam nobis proponit & graphicè deſcribit *Tacitus. Arma*, inquit, *ſumere non ante cuique moris erat, quam civitas ſufficiente probaverit. Tum in ipſo concilio, vel principium aliquis, vel Pater, vel propinquus, ſcuto frameaque juvenem ornant. Hæc apud illos toga, hic primus juventæ honor. Ante hoc domus pars videntur; mox reipublicæ, Inſignis nobilitas, aut magna patrum merita, Principis dignationem etiam adoleſcentulis aſſignant. Cæteris robuſtioribus ac jam pridem probatis aggregantur, nec rubor inter Comites aſpici.* Comites hos eligendi poteſtas erat potiſſima penes Principem, quod teſtatur Tacitus, ubi ſupra ita inquiens: *Gradus quia etiam & ipſe comitatus habet, judicio ejus quem ſectantur.* Horum autem *Comitum magna erat æmulatio per virtutem, quibus primus apud Pirncipem ſuum locus: & Principum, cui plurimi ac acerrimi Comites. Hæc dignitas,* ait citatus Auctor, *Principi, hæ vires, magno ſemper electorum juvenum globo circumdari, in pace decus, in bello præſidium, ſed nec ſolùm in ſua gente cuique Principum, ſed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea fama, ea gloria erat, ſi numero ac virtute comitatus emineret. Expetebantur enim, cum ſuo quisque comitatu legationibus ab aliis civitatibus, quibus bellum aliquod exortum, & muneribus ornabantur; & ipſa plerumque fama,* ex *numero & virtute comitatus parta bella profligabant. Cumque ventum in aciem, turpe Principi, virtute vinci; turpe comitatui virtutem principis non adæquare. Jam verò infame in omnem vitam & probroſum, ſuperſtitem Principi ſuo ex acie receſſiſſe. Illum defendere tueri, ſua quoque fortia facta gloriæ ejus aſſignare, præcipuum Sacramentum erat. Principes pro victoria pugnabant, Comites pro Principe* &c. Hæc ille, quæ omnia convenire Sarmatiæ noſtræ facilè deprehendet, quisquis ſeculi noſtri ac proximi acti bella in Regno hoc geſta attentiùs conſideraverit. Ratio colligendorum Militum apud Gothos quæ? Comitum electio & æmulatio.

Caſtra metare Gothis noſtris ſolenne erat, eaque *plauſtris munire.* Sic *Gothi* in Thracia, de quibus Marcellin. l. 31. ita refert. *Haud lon-* Caſtrorum metatio.

longo ſpatio ſeparatum vulgus inæſtimabile barbarorum, ad orbis notandi figuram, multitudine digeſta plauſtrorum, tanquam intra murariis cohibita ſpatiis, otio fruebatur, & ubertate prædarum.

Acies. *Acies* autem diſponebant per *Cuneos*, ita ut plus roboris in *pedite* fuerit, quibus ſemper *equites* admixti erant. Tacit. Aciem autem omnem ſuam *rhedis* & *carris* circumdederunt, *ne qua ſpes in fuga relinqueretur: eo mulieres impoſuerunt, quæ in prælium proficiſcentes milites paſſis crinibus flentes implorabant, ne ſe in ſervitutem Romanis traderent.* J. Cæſ. c. l. de Acie Arioviſti. Egregiè hæc nobis deſcribit *Nicetas* Choniates, in vita Joannis Comneni, cujus imperii anno 5to *Gothi trajecto Iſtro Thraciam Macedoniamque populabantur. Omnes*, inquit, *currus in Orbem compoſuerunt; iisque haud exigua copiarum ſuarum parte impoſitâ pro vallo uſi ſunt, ac multos obliquos aditus, platearum inſtar, in iis reliquerunt. Quum igitur à Romanis urgerentur, tergis obverſis intra currus tanquam munitam arcem, nullo fugæ incommodo ſeſe recipiebant. Inde viribus recuperatis, tanquam fortes erumpentes fortiora facinora edebant. Neque ea res alia erat, quam mœnium oppugnatio: quæ in media planitie Scythæ ex tempore ſtruxerant, unde factum, uti Romani labore irrito fatigarentur. Pugnabant ibi copiæ carrigini impoſitæ & inſimul mulieres;* quas ſecum habebant in bello. (1.) Ut hortarentur viros viriliter agere. (2.) ut ſortibus & vaticinationibus declararent, utrum prælium committere ex uſu eſſet necne? (3.) ut ſtatim victoriâ obtentâ colonias ducerent in terra iſta, quam occuparent. (4.) ut cibos portarent, pararent. Hæc ex Cæſare. l. 1. Quod ſi viros in acie fudiſſet hoſtis non ſtatim ſe fugari paſſæ ſunt mulieres è plauſtris pugnantes. Ita nobis refert Oroſius l. 5. c. 16. ubi de Cimbrorum clade in Italia hæc habet: *Sexaginta millia capta dicuntur. Mulieres graviorem penè excitavêre pugnam: quæ plauſtris in modum caſtrorum circumſtructis ipſo deſuper propugnantes diu, prope repulere Romanos. Ea erat fortitudo mulierum, ut crudeliſſima quæque mortis genera captivitati præponerent. Sic cum*, pergit idem Oroſius *ab his* (Romanis) *Gothicæ mulieres in plauſtris novo cædis genere terrerentur*, (abſciſſis enim cum crine verticibus inhoneſto ſatis vulnere turpes relinquebantur:) *ferrum, quod in hoſtes ſumpſerant, in ſe ſuosque verterunt: nam aliæ concurſu mutuo jugulatæ, aliæ apprehenſis invicem faucibus ſtrangulatæ, aliæ funibus per equorum crura conſertis, ipſisque continuo equis exſtimulatis, poſtquam ſuas iisdem funibus, quibus equorum crura nexerant, indidere cervices, protractæ atque exanimatæ ſunt: aliæ laqueo ſeſe ſubreptis plauſtrorum temonibus pependerunt. Inventa eſt etiam quædam, quæ duos filios, trajectis per colla eorum laqueis, ad ſuos pedes vinxerit; & quum ſe ipſam ſuſpendio morituram dimiſiſſet ſecum traxerit occidendos.* Hæc Oroſius c. l.

Carrago Gothorum.

Cur mulieres in bello habuerint Gothi?

Gothicani mulieris fortitudo.

Cæterùm acie inſtructa adhortabantur milites, qui ad *monomachiam* & ſingulare certamen provocabant hoſtes. Diod. l. 5. Frontinus l. 4. c. 7. de ſtratagem. Acie utraque adverſus ſe compoſita ingens clamor attol-

attollebatur, quem *barrytum* vocant Vegetius lib. 3. c. 18. & Marcellinus l. 16. 27. Tacitus *barditum* appellat, ſed perperam. Perſonabat puto ego, totus exercitus his vocibus *bar bar*, ubi nunc Scythæ ſua ſolenni voce *Hala Hala* perſonant; Idque mihi probatur ex eo, quod hodiedum Pruſſi in Nadravia Zalavonia, Zomogethia Lietuania, &c. in uſu habeant, in quacunque concertatione *bar*, *bar*, perſonare, adeò ut & famulæ mulieres, dum in fine meſſis ad expediendum celeriùs meſſem decertant, intonent *bara bara*. Inde barrytus vox. Videnturque ab hac voce Romani & Græci exteros, atque in his Gothos barbaros appellâſſe. *Barrytus Gothorum.* *Unde Vox Barbarus?*

Victoria obtenta victores teſte Tacito. Annal. l. 13. *Marti* ac *Mercurio ſacro fuêre*, quibus ſacrificiis *equi* viri cunctaque bello accepta occidioni data. Sed de his alibi fuſiùs.

§. VII.

De Variis Gothorum ſtudiis.

GOthi, teſte Tacito, *quoties bella non iniebant, multùm venationibus, plus per otium tranſigebant, dediti ſomno ciboque, fortiſſimus quiſque & bellicoſiſſimus nihil agens, delegatâ domus & penatium & agrorum cura fœminis ſenibusque vel infirmiſſimo cuique ex familia; ipſi hebentes.* Inprimis ſolertiam adhibebant, in *capiendis Uris*, de quo Cæſar. Com. 6. *Magna*, inquit, *vis urorum. Hos ſtudioſè foveis captos interficiunt, hoc ſcilicet labore durantes adoleſcentes, atque hoc genere venationis exercent: & qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quæ ſint teſtimonio, magnam ferunt laudem.* Non tamen omnino agriculturam negligebant; quamvis non adeò obnixè exercuerint, fœminis cura iſta commiſſa. Solebant *ſubterraneos ſpecus* aperire, *eosque multo inſuper fimo onerare, ſuffugium hyemi & receptaculum frugibus.* Scythæ quoque, quo nomine venerunt Gothi per Legatos ſuos hæc Alexandro feruntur dixiſſe: *Dona nobis data ſunt, nec Scytharum gentem ignores, jugum boum, aratrum & Sagitta & patera; His utimur & cum amicis & adverſus inimicos. Fruges amicis damus boum labore quæſitas. Paterâ cum his vinum Diis libamus*, apud Curt. l. 7. Hiſt. c. 8. De *Æſtiis* teſtatur Tacitus, c. l. quod *frumenta cæteroſque fructus patientiùs quam pro ſolita Germanorum inertia laborârint.* De *Svevis* autem habet J. Cæſar c. 6. *Svevorum gens longè eſt maxima, & bellicoſiſſima Germanorum omnium. Ii centum habere pagos dicuntur, ex quibus quotannis ſingula millia armatorum bellandi cauſa ſuis è finibus educunt; reliqui qui domi remanſerint, ſe atque illos alunt. Hi rurſus invicem anno poſt in armis ſunt, illi domum remanent; ſic neque agricultura neque ratio atque uſus belli intermittitur.* Quid autem compulerit ad id Svevo-Gothos, idem Auctor c. l. refert. *Ne*, inquit, *aſſidua conſvetudine capti ſtudium gerendi belli agriculturâ commutent: ne latos fines parare ſtudeant; potentioresque humilioresque poſſeſſionibus* *Venationes.* *Urorum.* *Agricultura Scytharum.* *Æſtiorum.* *Svevorum*

expel-

expellant; ne accuratius ad frigora atque æſtus vitandos ædificent: ne qua oriatur pecuniæ cupiditas: qua ex re factiones diſſeſſionesque naſcuntur; ut animi æquitate plebem contineant; cum ſuas quisque opes cum potentiſſimis æquari videat. Conferatur Tacitus de Mor. Germ. Simile his habet Eraſmus ſtella de *Pruſſis Pruſſorumque vicinis populis: Pruſſii veteres terram minimè excoluere, vel ob ignorantiam rei ruſticæ, vel ne bonitate ſoli deprehenſâ & ipſi finitimorum motui obnoxii fierent, indeque eliminarentur, vel quod victum è terra naſcentibus nondum novere.* Studebant tamen præſertim pacis tempore *rei pecuariæ*, quibus placebat numero armentorum gaudere, eas ſolas & gratiſſimas cenſere opes. Quare & in delictis pro modo pœnarum, equorum pecorumque numero convicti mulctabantur. De cætero *fœnus* agitare & *in uſuras extendere ignotum, ideoque magis ſervabatur, quam ſi vetitum eſſet.* Tac. c. l. adeoque *nullum ad eos aditum fuiſſe mercatoribus; nihil paſſos vini reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri, quod his rebus elangveſcere animos, eorumque remitti virtutem exiſtimarent.* Hæc tamen quod ſupra monui, ſano ſenſu accipienda eſſe exiſtimo. Conſtat enim ad has Gotho-Sarmatarum oras Britannos olim navigiis appuliſſe, ut & divenderent advecta, & coempta deveherent mercimonia. Ita teſtante Plinio l. 4. c. 15. cujus verba ſunt: *Timæus Hiſtoricus à Britannia introrſus ſex dierum navigatione abeſſe dicit inſulam Miktim in qua candidum plumbum proveniat. Ad eam Britannos vitilibus navigiis coris circumſutis navigare. Sunt qui & alias prodant, Scandliam Dumnam Bergos, maximamque omnium Nerigon ex qua in Thulem navigatur.* Simile his narrat quoque Tacitus de Svionibus noſtris. *Svionum civitates,* inquit, *ipſo in oceano præter viros armaque claſſibus valent.* Mercatura tamen horum potiſſimùm in *mercium commutatione* conſiſtebat, quod & Tacitus docet, cl. *Interiores,* inquit, *ſimpliciùs & antiquiùs commutatione mercium utuntur.* Attamen cum ipſis pecuniæ uſus innotuit eam non certè negligebant. Hinc Herodianus l. 4. de illis ſcribit: quod *pecuniæ admodum fuerint avidi, ſemperque pacem Romanis venalem habuerint.*

Pruſſorum Veterum.

Mercatura:

Navigatio.

Navigndi quoque ſtudium in Gothis à veteribus celebratur. Teſtatur Procopius lib. 4. de Saxonibus, Gothorum genti immixtis: de quibus ita: *Vectores,* inquit, *in hac claſſe nulli erant, ſed remiges omnes: neque enim velis Inſulani hi utuntur, ſed remigantes tantùm ſemper navigant:* Hi remiges ſimul & piratæ exercitatiſſimi fuerant, de quibus ita Sidonius ep. 6. ait: *quorum quot remiges videris, totidem te cernere putes Archipiratas; imò ſimul imperant, parent, docent, diſcunt latrocinari.* Atque hos remiges Romani timebant olim ut *repentinos* teſte Marcellino lib. 28. Navigia illorum *panda* fuerunt, quæ Sidonius vocat *Myoparones.* Tacitus *levia navigia. Materia navium* erant *vitilia corio circumſuta* Plin. l. 4. 16. J. Cæſ. Com. 1. nobis ea pleniùs deſcribit his verbis: *Imperat,* inquit, *militibus Cæſar, ut naves faciant, cujus generis eum ſuperioribus armis uſus Britanniæ docu-*

Gothorum Naves earum materia & forma.

docuerat.. Carinæ primum ac ſtatumina ex levi materia fiebant; reliquum corpus navium viminibus contextum coriis integebatur. Conf. ſolin. c. 28. Plin. l. 24. c. 9.

Formam navium, quas Sviones habuerunt, nobis ita deſcribit Tacitus: c. l. *Forma navium eò differt, quod utrinque prora paratam ſemper appulſui frontem agit. Nec velis miniſtrant, nec remos in ordinem lateribus adjungunt, ſolutum ut in quibusdam fluminum & mutabile, ut res poſcit, hinc vel illinc remigium.*

Nandi ſtudium in fluminibus fuit quoque Gothis uſitatiſſimum, non tantùm *viris* & *juvenibus* ſed & *mulieribus* & *puellis*. Neque ſoli tantùm ſed & *cùm* & *in equis* natabant, in quo ita exercitati fuerunt Germano-Gothi, ut arma equosque retinentes *integris turmis Rhenum perrumperent.* Tac. hiſt. l. 4. Natatio.

§. VIII.

De Virtutibus & Vitiis Gothorum.

MUlta in Gothis laude digna, multa vetuperio nobis proponunt Authores. Quæ laudem merentur, ea ſunt: 1. quod plùs ibi *boni mores* valuerint, quam alibi bonæ leges, teſte Tacito, de mor. Germ. 2. quod *fidem* maximè *coluerint*. Ita Tacitus de Svevis: Svevorum *gens*, inquit, *fidei comiſſæ patientior*. Idem de Germanis lib. 13. annal. *Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos exſtitiſſe.* Inde legimus quod ipſi Imperatores Romanorum corporis ſui cuſtodiam Gothis ſæpiùs crediderint, Ita *Caracalla*, de quo Dio l. 78. quòd ille *magis Gothis quam Romanis confiſus fuerit.* Equidem Authores de Gothis & Germanis id quodque habent, quod ſæpiùs *fœdifragi* fuerint. Hoc tamen intelligendum puto ego, de illis fœderibus, quæ vis belli ab illis extorſerat. Libertatis enim amantes, eam data occaſione vindicare ſemper ſtuduerunt. 3. Et illud inſignem meretur laudem, quod *religioſi* fuerint. Procop. id teſtatur, l. 2. de Reb. Goth. quòd ſcil. ſæpiùs in annum ſacrificare ſoliti fuerint. 4. Neque minore digna laude, proxima Religioni virtus *Pietas liberorum in Parentes*; *horum amor in filios* commendabilis: *nam liberorum numerum finire, aut quemquam ex agnatis necare flagitium habebatur. Sua quoque quamque mater uberibus alebat, neque ancillis aut nutricibus delegebantur.* Tac. c. l. Eorum is mos erat ut *tam inimicitias ſeu patris, ſeu propinqui, quam amicitias neceſſe habuerint ſuſcipere.* 5. Laudandum & illud quod *Scurrilia* non amaverint. Sic de Theodorico Goth. Rege, Sidonius lib. 1. Ep. 2. *Raro*, inquit, *inter cænandum intromittantur mimici ſales: ita ut nullus conviva mordaci linguæ felle feriatur.* 6. quod *amicitiam* ſtudioſiſſimè coluerint, fortitudinis illorum præcipuum incitamentum; *hic fortuita globatio turmam aut cuneum fecit, ſed familiæ & propinquitates.* Tac. Laudanda. 7. *Liberalitas, Comitas & Hoſpitalitas*, agnota illis virtutum decora: nam *quemcunque mortalium arcere tecto nefas habebatur.*

Virtutes Gothorum. Eorum boni mores. Fides. Religioſitas. Pietas liberorum amor Parentum. Honeſtas. Amicitiæ ſtudium. Liberalitas.

E Tac.

Tac. c. l. Liberalitatem eorum idem laudat his verbis: *Abeunti ſi quid propoſceris concedere moris & poſcendi invicem eadem facilitas. Victus inter hoſpites comis --- cum def ecere, qui modo hoſpes fuerat, monſtratos hoſpitii & comes proximam domum non invitati adeunt.* Hunc morem noſtri Gotho Pruſſi, & Zamogethæ &c. adhuc tenaciſſimè retinent. De quibus Dysburg. part. 3. c. 5. ita: *Hoſpitibus ſuis omnem humanitatem, quàm poſſunt oſtendunt, nec ſunt in domo ſuo eſculenta vel potulenta quæ non communicent eis illa vice.* Hoc tamen minimum meretur laudem, quanquam illis maximum meruiſſe viſum, quod *diem noctemque continuare potando nullum probum illis*, teſte Tacito, fuerit. Idem quoque Dysburg. de noſtris ad Pruſſicum olim Imperium ſpectantibus populis ſc. Maſoviis Lituanis, Zamogethis, &c. refert: *Non videtur*, inquit, *ipſis, quod hoſpites ſuos benè procuraverint, ſi non ad ebrietatem usque ſumpſerit potum ſuum. &c.* Sed commune id vitium omni ferè nationi fuit. *Galli* ſiquidem teſte Diodoro l. 5. præter modum vino capiebantur, ita ut *pro Cado vini puerum permutârint.* De *Græcis* nota quoque hæc res eſt, adeò ut nomen *græcari* inde devenerit. Vix credenda de *Romanorum ebrietate* Plinius refert l. 14. c. 22. Atque hic bellicoſarum Gentium mos creditus eſt. Platoni l. 1. Et usque hodie adeo Bacchus viget, ut pudor ſit minoribus potare ſcyphis, quoque plus hauriatur, ſumpto à ſalute Principis Exordio, multis in circulum propinetur ſalus, quæ ſola in voce votoque manet, multo obruta potu minuitur, frequenti deficit. 7. Inſignis eſt illorum Clementia erga ſupplices & moderatio animi erga debellatos. Notandum hujus rei exemplum habemus in *Totila* Gothorum Rege apud Procopium lib. 3. Gothic. hiſtor., cujus verba ex Græco latinitati donata adſcribere placuit. *Totilas, Neapoli capta, eam in captivos præ ſe tulit benignitatem, quæ utique nec barbaro nec hoſti ſat convenit. Quippe qui Romanorum præ inedia affectorum inprimis curam ſuſcepit, nec ſecus ac eorum, qui cum cibo diutius caruiſſent, imminuti viribus viderentur. Veritùs itaque ne ex repertino ac nimio cibo ad ſatietatem deſumpto, uti par erat, ingurgitati perirent, medendi hunc modum excogitavit. Cuſtodibus in porta portisque diſpoſitis imperavit, neminem ea abire permitterent, tum ipſe omnibus moderatione provida quædam parciusque quæ pro ſingulorum appetentia præbere: hosque eatenus quotidiè fameſcentibus addere, quoad ne auctos quidem ingelios que ſibi ſentirent. --- Idem Totilas Romam contendit, quam ſtatim, ubi eſt proximè ventum obſedit. Agrorum vero cultoribus per omnem Italiam, mali nil quicquid intulit: ſed terram ut intrepidè colerent, nihil ſecus ut anteà imperavit.* Plura de hac re, qui ſcire deſiderat, legat Procopium l. 2. & 3. Lazium l. 10. & alios. Fuêre nihilominùs nonnulla Gothorum *vitia*, quæ ut Genti dedecus, poſteris tulerunt probrum, ita dignum à nobis merentur cenſuram. Atque inprimis de illorum *exceſſu in potu* diximus ſupra. Et certè crapulam ebrietatemque Gothicam notant Auctores, neque tantùm illud ſed & *aleæ* nimiùm detitos fuiſſe referunt, ex quibus crebræ, ceu inter vinolentos exoriebantur *rixæ*, pigritia ac inertia populi conſequebatur: *cædes* frequentes erat: *latrocinia* nullam pœnam aut infamiam

Pruſſorum hoſpitalitas,

Gothorum moderatio animi.

Vitia Gothorum.

miam incurrebant. Hæc tamen non de omnibus dici putaverim Gothis, minùs verò de *Viris Illuſtribus aut Principibus*, quorum inſignia proponuntur nobis virtutum facinora, referuntur exempla *Juſtitiæ* à Procop. l. 6. Goth. *Temperantiæ* à Sidonio. Epiſt. ad Agricolan. Cujus verba hîc, quia elegantiam quandam præſeferunt, placuit adſcribere: ita ille de Theodorico Gothor. Rege. *Si*, inquit, *in convivium venitur, quod quidem diebus profeſtis ſimile privato eſt, non ibi impolitam congeriem liventis argenti, menſis ſedentibus ſuſpirioſus miniſter imponit. Maximum tunc pondus in verbis eſt. Quippe cùm illic aut nulla narrantur aut ſeria, toreumatum peripetaſmatumque, modò conchiliata profertur ſuppellex, modò byſſina. Cibi arte non precio placent: Fercula nidore non pondere. Cyphorum & paterarum oblationes facilius eſt ut accuſet ſitis, quàm recuſet ebrietas.* &c. Idem Auctor refert de hujus Gothi *ſtudio aleæ. Quibus horis*, inquit, *tabula cordi eſt, teſſeras colligit rapidè, inſpicit ſollicitè, volvit argutè, mittit inſtanter, joculanter compellat, patienter exſpectat. In bonis jactibus tacet, in malis ridet: in neutris iraſcitur: in utrisque philoſophatur: ſecundos faſtidit vel timere vel facere. Quorum opportunitates ſpernit oblatas, tranſit oppoſitas, ſive motu evaditur, ſive colludio evadit. Putes illum & in calculis arma tractare: Sola eſt cura vincendi. Quum ludendum eſt, regiam ſequeſtrat tantiſper ſeveritatem. &c.*

Temperantia Theodorici Gothorum Regis.

Certè *ingenium* Gothis veteribus non defuiſſe patet ex eo, quod de iis affirmat Dio quia *ſapientiam dilexerint* Confer. Marian. l. 5. Rer. Hiſpan. c. 1. Sigebertus Gembl. in Chronico. *Gothi*, inquit, *viribus vigentes, ingenio callentes, philoſophiæ quoque diſciplinis eruditi, nativam barbariem exuentes, humanitate & honeſtate aliis barbaricisque gentibus præeminuerunt.* Atque ideò plurima ſunt illorum *argutè dicta* ab Authoribus notata. Tale eſt illud *Alarici* Gothorum Regis. Obſidione in Romam cinxerat, quæ multitudine civium freta & militum, legatos ad eum de paciſcenda deditione doloſè miſerant, obſeſſis nihilominùs ad defenſionem urbis & pugnâ paratis. Ille verò animosè reſpondet Legatis: *Etiamſi populoſa ſit civitas, nihilominùs adoriar deditionem ſimulantes: ſpiſſius enim fœnum rariore faciliùs reſecatur.* Ita Zoſim. h. l. Exſtat etiam apud Caſſiodorum & Procopium *Amalaſvente* Principis Gothicæ, egregium & Principe dignum de ſtudiis elogium: quod ſcil. *Eruditio inſitam ingenii vim roboret, ibi prudentem invenire, unde prudentior, bellatorem, unde animi virtute confirmatior evaderet: Inde Principem accipere, populos regendi artem; nec tentam in orbe terrarum dari fortunam, cui literarum ſtudia non eſſent ornamento & præſidio.*

Ingenium Gothorum.

Eruditionis Encomium.

CAPUT II.
De Sacris Gothicis.

CUm nullum unquam fuerit genus hominum, neque barbarum neque aliorum, ſive in mari ſive in continente vivat, ſive ſine ſede vagatur, ſive incolat, quod non aliqua cultus divini ſigna ere-

erexerit. Max. Lyr. diſſ. 38. Senec Epi. 117. neque nos poſſumus Gothis noſtris Deorum notitiam aut cultum denegare. Nunquam enim Atheus gentes aut populos vidit Orbis. Si qui Athei in terris erant ſingulares, Phœnices & Monſtra plusquam Africana erant, nec homine nec terris digna, multò minùs cœlo. Falſum adorare Numen error hominum fuit, planè coævus mundo. Nullum agnoſcere, inſania nonnullorum, ſemper execrabilis mundo. Quæ autem Gothorum in patriis terris idololatrica ſacra fuerint, cum veteres de iis ſileant nos contenti iis, quæ ex claſſicis Auctoribus, de his populis extra Patriam bella gerentibus colligere potuimus, eadem ipſis Authorum verbis, non immemores brevitatis proponemus. Ut autem ordine res procedat diſtinctis §§. eam curioſo dabimus lectori.

Gothi non fuerunt Athei.

§ I.

De Diis Gothorum.

EA eſt humanæ rationis ratio, ut modò ſana ſit, atque nonnihil naturali ductu ad contemplandas rerum creatarum naturas elevata, aſſurgat ad cognitionem Entis illius Infiniti, quod eſt Unum Verum Bonum, à quo cætera dependent omnia, exclametque cum Philoſopho. *Ens Entium*, vel cum pſalte: *Deus Deorum.* Atque huic ſupremo Enti, quod Jovem alii, alii aliter fictis appellârunt nominibus primam omnino ſedem attribuerunt *Indi*, teſte Philoſtrato in vita Apollonii. Non minus *Sarmatæ* & *Slavi* de quibus ita Helmoldus Chr. lib. 1. c. 84. *Non diffitentur*, inquit, *unum DEUM in cœlis*, *cæteris* (Diis) *imperitantem.* Ideo vix credo ullam fuiſſe gentem, quæ ſolo naturæ lumine illuſtrata illud Numen non profeſſa fuerit, cunctis clamantibus Creaturis & profitentibus creatorem. Quare miror, qua ratione J. Cæſ. Com. 6. de Germanis ſcripſerit: ſe illos ſolos Deorum numero adſcribere, quos cernunt. Certum enim eſt, *omnium opinionem convenire in eo*, *unum eſſe DEUM*, *Regem omnium & Patrem*, *cui additi Dii alii*, *qui ſupremi illius ſunt filii & quaſi collegæ. In eo Græcus cum Barbaro*, *continentis incola cum Inſulano*, *ſapientem cum ſtulto convenire.* Maximus Tyr. diſſ. 1. Horum autem *numerum* ferè *innumerum* idem eſſe tradit. His adnumerati ſunt quoque homines, *quos in cœlum merita evocârunt*, *ideoque cæleſtes habiti.* Cicero lib. 2. de legib. Idem de Gothis refert Procopius l. 2. ſcil. *Deos & Spiritus multos coluiſſe illos*, *cœleſtes & aëreos*, *terreſtres & maritimos.* Imprimis *Regibus* honor divinus fuit attributus. Perſæ Regem ſuum adorabunt teſte Plutarcho, in Themiſtocle, imò adhuc apud illos Rex vocatur *Dominus qui cœlum terramque fulciat & ſuſtineat. Divitibus* idem quoque honor præſtitus fuit; præſertim à Clientibus ſuis, quos beneficia accepta ad id induxerunt, teſtantur Ovidius de Ponto l. 2. eleg. 9. & Cicero l. 1. de nât. Deorum. Et Slavorum Polonorumque noſtrorum eandem fuiſſe mentem docet Cluverius l. 1. c. 25. qui à *bogatus* vel *bohatus*, quod eſt *opulentus*, *dives* Deum *Bog* ſeu *Boh* vocâ-

Dii annumerati Reges.

Divites.

Unde Polonorum Deus Bog dicitur?

vocârunt, quaſi *Deus alter* vel *terreſtris Deus* ſit homo dives, cui ideo conceſſæ ſunt cœlitùs opes, ut opem egenis ferat, miſerorum miſereatur, communicando facultates ſuas inſtar DEI, qui divitias bonitatis ſuæ communicat affatim, facitque oriri ſolem ſuper bonos & malos. Quanquam meliùs alii hanc derivationem Polonorum interpretantur; dicuntque ideo Deum ſic vocatum eſſe *Bog*, quod *ille ſolus ſit verè Bogaty*, & propriè. Cœlorum terrarumque dominus, divitiarum creator omnium, cui nihil deeſt, quantumvis effundat, nihil minuitur, quantumvis det donetque, ſcilicet infinitus illi eſt infinito Domino theſaurus beneficiorum. Et ferè ad ſenſum Latinorum Poloni; quibus Deus, quod dives ſit, dictus eſſe videtur: proxima enim ſibi hæc nomina.

Etiam illi homines illæque creaturæ ſunt in Deorum numerum relatæ, quarum *inſolita facinora plebs admirata & venerata eſt.* Inde puto Ruſſo-Lietvanos Pruſſos, Zamogethas, Curones, Livones &c. DEUM vocâſſe *Diewas* & *Dywus*, à *Dywas*, quod eſt, *mirabilis*, quod ſcil. *mira præſtet.* Hoc ſenſu apud veteres *Sol, Luna, Ignis*, &c. Diis adſcripta leguntur. Sic & *Afri* aliique populi *Soli* & *Lunæ* immolârunt; Herodot. l. 4. Hos Deos mundum univerſum gubernare putaverunt. *Ægyptii*, uti refert, Diodor. l. 1. eoſdem progenitores omnium creaturarum, imprimis verò ſiderum habuerunt. Slavi & alii, atteſtantibus id *Philoſtrato, Juliano, & Helmoldo.* Cæſar de Germanis ſcilicet; quod *tres tantum habuerint Deos. Solem Lunam & Vulcanum, reliquos ne famâ quidem acceperint.* Paulus Diaconus Rex Longob. l. 1. c. 9. de iiſdem habet, quod *DEum coluerint Wodam*, quæ vox *aquam* Polonis denotat: Neotericus quidam putat, potuiſſe fieri, ut, ſicut Perſæ aliæque gentes Elementum Ignis ita quædam inter Slavicos & Gothicos populos gens Elementum Aquæ pro Numine coluerit, eoque nomine illud appellaverit *Wodam* Aquam. Eum quidam *Guodam* dixerunt. De quo ita inquit Auctor citatus: *Ipſe eſt qui apud Romanos Mercurius dicitur & ab univerſis Germaniæ gentibus ut DEus adoratur.* Godofridus Viterbirch. addit, quod inde usque hodie *Goth*, Teutonicâ lingvâ vocetur DEus, à qua voce Gothos vocatos eſſe quaſi *divinos* cenſet nonnemo. Verùm mihi ſatiùs videtur, Longobardos aliasque Gothici nominis gentes ex ſua lingva nativa DEum ſuum ſic nominâſſe ſcil. à vocabulo *Guota*, de quo lib. 1. Orb. Goth, fuſiùs egi. Vandali enim aliique populi DEum ſuum non vocârunt Goth, ſed *Guot*, niſi dialectus vel accentus variaverit nomen vel vitioſa populi pronunciatio. *Hunc Guotam longè anteriùs in Græcia fuiſſe*, dicit idem Auctor. c. l. Scilicet id nominis Gothi noſtri ex Aſia egreſſi, poſtquam in Græciæ & Thraciæ confinia ſeceſſerunt & Slavonicâ à DEO ſibi impoſitâ lingvâ uſi ſunt ad Græcos derivârunt. Num autem *Guotas* ſeu *Guodas* ille ipſe noſtris Gothis fuerit DEus, qui Mercurius Romanis Græcisque fuit, non facilè dixerim. Certum quidem eſt, nunquam Gothos noſtros uſos fuiſſe lingvâ nativâ vocabulo Mercurii. Puto tamen Romanas obſervâſſe

Inde Pruſſorum dicitur Deus Diewas?

Gouda.

Guota quid ſit?

Ceremonias quas Guotæ ſuo tribuerunt Gothi. Et certè convenire videntur illæ cum Ceremoniis, quas ipſi Romani & Græci exhibuerunt ſuo Mercurio, imò & virtutes, quas tribuerunt Diis ſuis hæ gentes. Mercurius ſiquidem putabatur & colebatur à Romanis ut *domorum cuſtos* reique *pecuariæ præfectus*, *Pacis & armorum arbiter*. Ovid. Faſt. l. 5. Nat. Com. lib. 5. Myth. Atque talis DEus erat *Guota* Gothis antiquis, & plurimis adhuc eſt in Nadravia, Zamogethia &c. Guota enim illis fuit *DEus Subſtantiæ domeſticæ*, ejus conſervatio tam in pace quàm in bello illi adſcripta fuit. Subſtantia verò Gothorum potiſſima in re pecuaria conſiſtebat. Cæterùm de Sveogothis refert Tacitus c. l. quod *Iſidi* ſacrificârint, eamque coluerint ceu *Matrem Deorum*, ac Terræ, atque eidem poſuerint ſignum in modum *liburnæ* figuratum. Quid autem nomine Iſidis antiqui propriè intellexerint, non facilè eſt conjicere. Tribuitur Ægiptiis, quod ſub Iſidis nomine *Lunam* coluerint. Ita Fulgentius in Mythol. & Lactantius l. 1. c. 11. Sed cur Iſidi *navigium* tribuerunt? Num quod Lunæ operatio in mari maximè ſpectetur? Illud notandum, quod Tacitus de Germanis eorumque ritu in cultu *Lunæ* dicit, *Coeunt*, inquit, *cum inchoatur luna aut impletur; nam agendis rebus hoc auſpicatiſſimum initium credunt.* Iſis terra quoque dicta eſt, ipſis etiam Ægyptiis. Ita Varro apud Rhodog. l. 1. 24. imo & *Ceres* ab iisdem habita olim fuit ſcil. *Dea terræ & frugum*, *Dea Oeconomiarum.* Apud Herodotum Iſidis ſtatua eſt muliebris, præferens capite *bovis cornua*, cui vitulæ conſecrabantur. Qui autem Gothorum DEus fuerit, & quo vocabulo inſignitus in lingva Patria, quem nomine Iſidis illi colebant, non ſatis conſtat ex Authoribus. Conjectura mea eſt, cum apud Veteres Iſis inventrix agriculturæ multarumque rerum ad uſum & commodum huc ſpectantium habita ſit; Gothos aliquem DEum, cui talium rerum poteſtatem à ſupremo Deorum conceſſam, vel ſibi à natura inditam eſſe crediderunt, more, quo Romano vel Græci Iſidi ſacrificârunt, eodem coluiſſe. Tacitus præterea refert *Æſtios*, Gentem Gothicam, divino cultu veneratos fuiſſe *Matrem DEorum*, *inſigne ſuperſtitionis aprorum formas geſtâſſe; idque pro armis, omniumque tutela, ſecurum DEæ cultorem inter hoſtes præſtitiſſe.* Cluverius putat, *Lunam* eo nomine coluiſſe Æſtios; quod antiquis Jupiter Pater Sol fuit, ejusque uxor Magna Mater Luna audiit. Mihi videtur illo nomine Terram Æſtii coluiſſe. Nam omnem cœli gyrum antiqui Jovem vocârunt, Herod. l. 1. Terram autem Jovis Uxorem. Ita crediderunt Scythæ, quo nomine, ut ſæpiùs innui, noſtri Gothi venerunt. Herod. l. 4. Hæc magna Mater vaccis, ſive ut Virgilius loquitur l. 3. Æneid. Bobus fœminis colebatur. Sed & terram matrem eadem vectura uſum fuiſſe teſtatur Ovidius. c. l. Hertam vocat hanc matrem Tacitus, id eſt ſenſu veterum Gothorum, terram, quæ aratur. Illa enim terra dicitur illis *arta.* quam ſcil. aratro colimus. Illa certè ipſiſſima eſt DEa, quam Pruſſi Lietuani, Zamogethæ vocârunt & adhuc vocant *Zemele* item *Zemeluſcæ*, Græci *Pamolxin*. De quibus in Deliciis Antiquit. Pruſſ. Cur autem

Mercurius quis?

Iſidis antiquorum an luna?

An Terra?

Iſidis ſtatua.

Aeſtiorum cultus divinus.

Zemele Pruſſorum.

Apri

Apri formam Matri Magnæ tribuerint, rem certò ſtatuere non poſſum. Hoc certum eſt Zamogethas, Pruſſos, Nadravos, apud quos adhuc durant antiquæ ſuperſtitionis reliquiæ Zemelucano DEo conſecrare adhuc caprum, ſæpiùs ſuem, forſan olim & aprum primo veræ; atque id eo ductu faciunt, ut gratias agant Deæ terræ, quod jam tempus advenerit, excolendi terram, ex qua quilibet mortalium vitæ ſuæ, recipit ſuſtentationem. Caprum quidem mactant pro obtinenda agrorum pecorumque fœcunditate, eò quod caprarum genus inſigne illis olim fuerit fœcunditatis, Suem verò, (forſan olim & Aprum,) mactant, quia ex animalibus, quæ in his terris habentur primum & ſus vel aper, qui terram primo vere exagitant, dentibus exſulcant, araturæ initia monſtrant. Ideo animal tale conſecrant DEæ araturæ ſcil. pro felici terræ cultura.

Coluerunt noſtri inſuper Gothi *Herculem* & *Martem*, juxta Cæſarem, Tacitum, & alios. Quid per Martem veteres intellexerint, docet Macrob. Saturnal. l. 1. c. 25. qui Liberum patrem cum Marte conjungit; *Romani*, ait, *utrumque patris nomine venerantur, cum Liber idem ſit ac Sol, Mars idem ac Liber Pater. --- Et Mars idem qui Vulcanus. Hercules idem qui Mars.* Ita Germani venerati ſunt Martem *effigie Columnarum imitantium Herculem.* Unde Herculem & Martem Tacitus conjungit, quos illi conceſſis animalibus placârunt. Noſtri Baltho-Gothi in Pruſſia, Livonia, Maſovia &c. colebant eo modò *Percunum* id eſt tonantem Jovem de quo in deliciis. Cæterùm Gotho-Sarmatas *Caſtorem & Pollucem* veneratos eſſe, quos Poloni Lebum Polebum vocârunt, refert Paſtorius in tractatu de Originib. Sarmaticis. *Hercules & Mars Gothorum.*

Quæ autem *Theologia Gothorum* antiquitùs fuerit, deſcribit Herodotus lib. 4. *Getæ*, inquit, *qui Thracum fortiſſimi ſunt atque juſtiſſimi immortales agunt hoc modo: Mori ſe non putant: ſed defunctum meare ad Zamolxin, quem nonnulli eorum opinantur eſſe eundem & Gebeleiſin. Semper autem ſolent quinto quoque anno, quempiam ex ſuorum numero ſorte lectum, nuncium mittere ad Zamolxin, mandata ei dantes de iis quæ ſibi opus ſint; eumque ita mittunt. Quibusdam datur negotium, ut tria jacula teneant: aliis, ut comprehenſis ejus, qui ad Zamolxin mittitur manibus pedibusque, hominem agitantes in ſublime, jactent in jacula, qui ſi è veſtigio extingvitur, propitium ſibi DEum arbitrantur: ſin minùs; ipſum nuncium inſimulant, adſeverantes malum illum eſſe virum, atque hoc inſimulato, alium mittunt, dantes adhuc viventi mandata.* Quis ille *Giveleiſis* & *Zamolxis* fuerit, tetigimus in lib. 1. Orb. Goth. c. 1. & fuſiùs egimus in deliciis. *Marcomannorum* fuit, teſte J. Cæſare ſententia, illos, qui *fortiter pugnando perirent, primos fore in altera.* *Theologia Gothorum.*

Qui ſuper hos fuerint Dii recentiorum ſeculorum, præſertim in Patria noſtra, illi ex chronicis petendi ſunt, & egimus de his in deliciis citatis.

§. II.

§. II.
De Ritibus ſacris & Deorum ſimulachris.

UTrumque nobis veteres, qui de Gothis ſcripſerunt, proponunt. Atque inprimis Tacitus ita de Sacris Germanorum ubi & de moribus refert: *Nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare ex magnitudine cœleſtium arbitrantur. Lucos & nemora conſecrant, Deorumque nominibus appellant ſecretum illud, quod ſolâ reverentiâ vident.* Hæc Tacitus de Moribus German. Herodotus verò lib. 4. de Scythis ad quos Gothi olim referebantur ſcribit, quod ſoli *Marti aram* exſtruxerint ex *Sarmentis* tantùm. Nimirum ſolo naturæ lumine agnoverunt barbaræ gentes, quod Tullius in ſomnio Scip. dicit, ſcil. *hoc omne eſſe templum DEI quod conſpicimus.* Quare *lucos* & *nemora* conſecrârunt, quod præter Tacitum teſtantur Adàm. Bremenſ. Claudianus de laudib. Stilic. Et talis Gothorum in *Rugia* lucus fuit, de quo Helmoldus lib. 1. c. 84. ita. *Lucus*, inquit, *Sanctimonium fuit univerſæ terræ, cui flamen & feriationes & ſacrificiorum varii ritus deputati fuerunt. Illic enim ſecunda feria populus cum flamine ac ægulo convenire ſolebant propter judicia. Ingreſſus atrii omnibus inhibitus, niſi ſacerdoti & ſacrificare volentibus, vel quos mortis urgebat periculum.* Commune hoc fuiſſe omnibus ferè gentilibus teſtanrur Dionyſ. Halic. Antiquitatum. l. 1. Virgil. Ænei. l. 1. Sil. Halicus. Mela l. 1. c. 1. Strabo lib. 10. In his verò lucis habebant *effigies quasdam* & *ſigna*, quæ nonnunquàm detracta locis ſuis in prælia ferebant. Tac. c. l. ſimile & de *Æſtiis apiorum formas geſtantibus* idem habet. Omne id de Sarmatis noſtris veriſſimum, prout videre eſt apud Eraſm. Stell. l. 1. Heneb. de Antiquitat. Pruſſic. In lucis verò hujusmodi *opacitatem denſitatemque arborum* plerumque amabant, quas ſuccidere ob Numinis ſecretum & reverentiam prohibitum erat. De ſimili apud veteres Roman. ſuperſtitione. Ovidius lib. 3. Amor. canit. Inprimis ex arboribus *Quercus* erat antiquis ob robur ſpectata, qua de re Plinius lib. 16. c. 44. Homer. Od. lib. 14. Imò etiam *Pinus* uti videre eſt apud Sulpitium Severum in vita S. Martini Epiſcopi. Ita legimus de noſtris antiquis Gotho-Pruſſis apud Eraſmum Stellæ. Qui de ſuperſtitione illorum agens: *Præcellentes*, inquit, *arbores; ut robora quercus inhabitare dixerunt*, ex *quibus ſciſcitantibus reſponſa reddi audiebantur*, *ob id*, *nec hujuscemodi arbores cædebant, ſed religiosè ut numinum Deos colebant.* Confer. Helmold. in Chron. Slavi. l. 1. c. 84.

Templum DEI quid?

Lucus in Rugia.

Arbores Sacræ.

Quercus Romanovae.

Imprimis famoſiſſima fuit Gotho Pruſſorum quercus *Romoveana*, cultui deaſtrorum dicata, cujus diameter ad ſex omnino cubitos ſive ad Geometricos pedes duodenos protendebatur. In ſummitate fuit latiſſima & ramis mutuo inter ſe nexis adeò impervia ut pluvia decidens per ramos & folia obſtantia nullo modo potuerit ſe penetrare; quodve majorem meretur admirationem etiam hyemis tempore *viridis* conſpiciebatur. Hartknoch. in Antiquit Pruſſ. diſt. 6. Sim. Grun.

tr. 2.

tr. 2. Chr. Pruſſ. Præter ſupra dictas arbores etiam aliæ ad ſacra deſtinabantur. Scilicet Tilia. Henneb. c. l. Sambucæ. ibid. item *tota Silva.* Ibid. Mechov. lib. 4. Chron. Pol. c. 45.

Fontes ſacri.

Conſecrabantur etiam *Fontes.* Ita teſtatur Adamus Brem. de Saxonibus Helmodus de Pruſſis l. 1. c. 3. Commune id videtur fuiſſe Germanis Teutonibus & Britannis, de quibus Tacitus ann. l. 13. Solin. c. 25. Cauſam, cur fontes ſacraverint ii populi, reddit nobis Marcellinus his verbis: *Elementorum omnium Spiritus, utpote perennium corporum, præſentienti motu ſemper & ubique vigens ex his quæ per diſciplinas varias affectamus, participat nobiscum munera divinandi, & ſubſtantiales poteſtates, ritu diverſo placata, velut ex perpetuis fontium venis vaticina mortalitati ſuppeditant verba.*

Hoſtiæ Vet. Gothorum.

In Locis Lucisque illis ſacra fiebant ſuper *ara*, ut probabile eſt ex *ceſpitibus* vel *gramine contexta* Virg. Æneid. l. 12. ibique hoſtiæ imolabantur. Gens enim Gothica teſte Procopio Sacrificiis immolationibusque maximè ſtuduit. Varia autem hoſtiarum genera fuerunt, præcipuè tamen duo: Unum quo voluntas Deorum per exta diſquirebatur, quæ hoſtiæ vocari poſſent *conſultoriæ.* Alterum, quo Diis ſacrificabatur, quæ & *animales* hoſtiæ dicebantur, atquæ hæ hoſtiæ *erant votivæ.* Trebacius atque Marob. Saturn. lib. 3. c. 2. Hoſtiæ autem erant cùm omnis generis animalia, tum, ipſi etiam *homines*, uti docet Procop. l. 2. Goth. Atque hic communis erat ritus cunctis gentibus. De Britannis Tacit. ann. l. 14. de Gallis. Mela. l. 3. c. 2. de Tauris idem Mela. l. 2. c. teſtatur. Gothis pulcherrima victimarum erat *homo*, & quidem is, quem omnium primum in bello captivum duxerint: quem deinde reduces *Marti* immolârunt ut ait Procop. l. 2. Ex his victimis quædam totæ, quædam ex parte ſacrabantur Diis id eſt animalia quædam mactabantur & comburebantur integra, quorundam ſanguis tantum in ignem vel ad arborem ſacram fundebatur. Cætera ceſſerunt in Epulas Diis in honorem celebratas. Alia mactabantur in victimas ſed corpora eorum in flumen projiciebantur, quod Adam Brem. de Sveon. Procop. l. 2. c. 1. referunt. Ceremonias certè plurimas Gothi noſtri adhibuerunt, de quibus tamen Auctores non multùm nobis retulerunt. Peculiare illud fuit Gotho Sarmatis noſtris, ut quoniam nemini penetralia ingredi niſi ſolis Sacerdotibus fuerat, aut, pro quibus ſacra ii facerent; ſi quis graviore periculoſioreque adflictus morbo, ipſe victimâ pro ſua ſalute ob inopiam afferre nequiret, huic aliorum aſſiſtere hoſtiis, precesque pro ſe Diis fundere fas eſſet. Helmold. l. 1. c. 84. Mundos autem illos, mundisque indutos veſtibus accedere oportebat, cumque reverentia in genua vel faciem procumbere, vel ad minimum caput inclinare. Ita Quados facere ſolitos Ammianus refert. l. 17. & 30. Memorabile & illud, quod de *Semnonibus* Gothorum gente habet Tacitus cujus verba hic refero: *Semnones*, inquit, *ſtato tempore in Silvam auguriis patrum & priſca formidine Sacram omnes ejusdem ſanguinis populi legationibus coeunt; cæſoque publicè homine, celebrant*

Homo victima pulcherrima.

bar-

barbari ritûs horrenda primordia. Eſt & alia luco reverentia, nemo niſi vinculo ligatus ingreditur, ut minor & poteſtatem numinis præ ſe ferens, ſi fortè prolapſus eſt; attolli, & inſurgere haud licitum, per humum volvuntur. Eoque omnis ſuperſtitio reſpicit, tanquam inde initia gentis, ibi regnator omnium DEus, cætera ſubjecta atque parentia. Modum feriendi victimam apud Gothos uſitatum deſcribit nobis Herodotus l. 4. *Victima ipſa minoribus implicita pedibus aſſiſtit. Ejus à tergo adſtans immolator, laquei extremo ſublato pecudem ferit. Ea concidente DEum precatur, cui illam mactat, mox circumdat laqueum collo; injectoque baculo circumducit, hoſtiamque ſtrangulat.* Cæterùm aliæ hoſtiæ comburebantur *vivæ* prout bello captis in Sarmatia evenit de quo Eraſmus Stella, Weiſſelius, Grunaw & alii.

Offerebant præterea *thus, ceram, ſævum*, quæ omnia ad ignem ſacrum, perpetuoque conſervandum pertinebant. De quo fuſiùs in deliciis.

§. III.

De Divinationibus Gothorum.

Auſpicia Gothorum.

GEntem *nullam videmus, quæ non ſignificari futura & à quibusdam intelligi, prædicique poſſe cenſeat.* Cicer. l. 1. de Divinat. nam *omnes Reges populique & nationes utuntur auſpiciis.* Certè & Gothi, de quibus nomine Germanorum Tacitus c. l. ait, quod ii *forteſque maximè auſpicia obſervaverint.* Hic tamen præmittebantur *ſacrificia.* Dion. Italic. l. 1. Sortium autem conſuetudo ſimplex fuit de ea ſic Tacitus c. l. de Moribus Germ. *Virgam frugiferæ arbori deciſam, in ſurculos amputabant; eosque notis quibusdam diſcretos ſuper candidam veſtem temerè ac fortuitè ſpargebant. Mox ſi publicè conſulatur, Sacerdos civitatis, ſi privatim, ipſe pater familias, precatus Deos, cœlumque reſpiciens, ter ſingulos tollit: ſublatos ſecundum impreſſam à ſe notam interpretatur.* Ante Tacitum idem de Scythis refert Herodot. c. l. Scil. quod *virgis ſalignis divinare ſoliti fuerint.* Cauſam autem cur tanti fecerint gentes hæ *auguria & auſpicia*, eam nobis dat Amm. Marcell. l. 21. *Auguria & auſpicia*, inquit, *ille non volucrum arbitrio futura neſcientium colliguntur; nec enim hoc vel inſipiens quisquam diceret: ſed volatus avium dirigit DEus, amat enim benignitas Numinis, ſeu quod merentur homines, ſeu quod tangitur eorum affectione, his quoque artibus prodere, quæ impendent.*

Sortium ratio.

Auguria Gothorum.

Equorum præſagia.

Præter hæc obſervabant *Equorum præſagia. Proprium*, inquit Tacitus c. l. *gentis*, (Gotho Germanicæ) *equorum quoque præſagia ac monitus experiri. Publicè aluntur iisdem in nemoribus & lucis, candidi ac nullo mortali opere contacti, quos preſſos ſacro curru Sacerdos, ac Rex vel Princeps civitatis comitantur hinnitusque ac fremitus obſervant.*

vant. Nec ullo auſpicio major fides, non ſolùm apud plebem, ſed apud Proceres, apud Sacerdotes. Se enim miniſtros DEorum, illos conſcios putant. Fuerunt quoque præſagia ex *feris* & *ſerpentibus.*, qui mos non modò fuit in Gothia noſtra Balthica antiquitùs, ſed & recentioribus ſeculis, tempore Ordinis Teutonici, imò in nonnullis locis in Nadravia Zamogethia adhuc eſt. Egimus de hac re fuſiùs in deliciis noſtris ex profeſſo. *Præſagia ex feris & Serpentibus.*

§. IV.

De Miniſtris ſacrorum apud Veteres Gothos.

SIquidem nulla ſacra ſine ſuis Sacerdotibus eſſe poſſunt, idcirco nulla gens fuit, quæ non ſacrificulos ſacrificiis ſuis idoneos adhibuerint. Celebres illi Gallorum *Druidæ* nobis imprimis occurrunt. Unde verò nomen hoc ortum duxerit, quamque in Gothica gente acceptum fuerit, non tamen ſatis conſtat, eò quòd non ſit ea vox Gallicæ minùs Latinæ lingvæ ex qua hodierna Gallica videtur derivata, niſi velimus id vocabulum derivare ex vocabulo Gallico *Droict*, quod *rectum*, *juſtum* imò *jus* ſignificat; quaſi Druid æ fuerint *recti juſtique amantes viri, jurisque divini conſcii.* Et certè id Sacerdotibus convenire, vi ſtatûs ſui, gens omnis judicabat. Nonnemini è Recentioribus videtur Druidas dictos eſſe è latia lingva quaſi *Trucidas*; quod eorum officium fuerit, oblatas diis victimas ſcil. pecora trucidare: corrupto dein nomine vocatos Druidas. Plinius lib. 16. c. 44. idem vocabulum deducit à *robore*, quia Græcis Robur ſeu quercus dicitur δρῦς. Sed leve id mihi videtur argumentum. Non enim Druidæ Græcâ ſed Celticâ uſi ſunt lingvâ, quæ profectò eo tempore non fuit alia, quam quæ fuit Germanis populis communis, i. e. Gothis, qui itidem lingvâ patriâ ſe *Germanes*, appellabant, i. e. *Sagaces.* Inſuper quid cum robore aut quercu Sacerdotibus commune? num illos robuſtos & ſublimes inſtar quercuum oporteat eſſe? ſed vires in Sacerdote animæ non corporis ſpectantur, nec proceritas ſed ſanctitas requiritur. An quòd idola ſua in quercubus communiter coluerint barbari, easque arbores Diis ſacras habuerint? Certiùs quid occurrit mihi in præſenti, non ignaro Gothis antiquis in Sarmatia potiſſimùm in Lietvania, Zamogethia, Pruſſia, Livonia, &c. Sacrorum præſides nonnunquam audiviſſe lingva Gotho-Pruſſica, *Druidei*, ſive pro hodierna dialecto *Draudei* & *Draudzei*, i. e. *qui munus adimplebant præceptoris, inhibitoris, correctoris, iisque ſubditorum diſciplina commiſſa fuit.* Inde *Drauſme* venit, i. e. *diſciplina.* Conjecturare itaque non ex vano licet; cùm enim Scythæ Gothique Gallis longè antiquiores fuerint, Gallos ab iis accepiſſe nomen ritusque ſacros & ſentio & in hoc ſenſu confirmor. 1. Diodorus lib. 5. Druidas non tantùm Gallis ſed & Germanis Gothisque imò & Scythis attribuit. 2. Strabo atteſtatur, quod hæ gentes & naturâ & vitæ inſtitutis ſimiles & cognatæ fuerant inter ſe. 3. Diogenes Laertius in proemio dicit, quòd non tantùm Galli, ſed & Germani antiquitùs

Druidæ Gallorum & Gothorum.

Unde nomen Druidæ?

Gothorum Druidæ.

tùs ſuos ſapientes, quos Perſæ Magos, vocârint Druidas. 4. Id hominum genus patrio ſermone Celtico ſeu Wallis dicebatur bardes, teſte Affrico. Quia vero Celtica lingva cum Gothica noſtra conveniebat, probabile eſt, hoc hominum genus antiquitùs dictum eſſe *druidas & bardes promiſcuè* idque Walles hauſiſſe ex Veteribus Celto-Scythis, nam in Scytho-Gothica lingva voces Draudæ & Bartei; idem ſignificant, nempe illos qui corrigunt, inhibent, corripiunt ſuæ fidei commiſſos à Barti verbo, quod increpare corripere ſignificat. Cæterùm varia fuerunt Sacerdotum genera. Neque ſoli mares tractabant ſacra ſed & *fœminæ*. Ita apud Cimbros: de quibus ſtrabo l. 7. *Eæ*, inquit, *per caſtra captivis occurrebant ſtrictis gladiis; converſosque ad craterem æneum ducebant, amphoras circiter viginti capientem. Habebant autem pulpitum; quo conſcenſo ſuper craterem ſacerdotum una ſingulis in ſublime elevatis, guttur incidebat, è ſangvine in craterem profuſo, divinationem quandam captabant; reliquæ cadavera cæſorum recludebant, extisque inſpectis victoriam ſuis vaticinabantur.* Omnes autem ſacrificuli plerumque *Candidis* induti veſtibus incedebant, Plin. lib. 6. c. 44. Idem patet ex Dione: qui refert, quod Sacerdotes Gothorum in urbe *Vidiſitana* Myſiæ civitate Philippo Macedoni urbem vaſtaturo obviam proceſſerint, cum Cytharis & *candidis veſtibus* paternis diis, ut ſibi propitii eſſent, ac Macedones repellerent. Fœminæ quoque *lineis amictibus* velatæ ſacrificabant. Strab. l. 7. In noſtra Sarmatia apud Maſoviam Pruſſos, &c. erat ſupremus ſacrorum Pontifex dictus *Krywe* & *Krywe Krywaiczin*. De quo hæc habet Dysburg. p. 3. c. 5. *Fuit autem in Nadravia* (Pruſſia) *locus quidam dictus Romove, in quo habitabat quidam dictus Krywe, quam colebant pro Papa. Quia ſicut Dominus Papa regit univerſalem Eccleſiam fidelium ita ad illius nutum, non ſolùm gentes Pruſſicæ ſed & Letovini & aliæ nationes Livoniæ terræ regebantur. Tanta fuit auctoritas, quòd non ſolùm ipſe vel aliquis de ſangvine ſuo, verùm & nuncius cum baculo ſuo vel alio ſigno noto tranſiens terminos infidelium prædictorum à Regibus & nobilibus & communi populo in magna reverentia haberetur. Fovebat etiam prout in lege veteri, jugem ignem.* Krywe hic magnus fuit incantator & magus. Incantator autem Gotho-Pruſſica dicebatur olim & nunc *Zinys*. Quo vocabulo olim Burgundiones, (Gens Gothica ad Viſtulam) ſuos Sacerdotes appellabant teſte Marcellino l. 28. Verba Auctoris ſunt: *Sacerdotes apud Burgundios maximus zyniſtus vocatur & eſt perpetuus, obnoxius diſcriminibus nullis ut Reges.*

Fæminæ Sacrificulæ.

Veſtes Sacrificulorum.

Sacerdotes varii veterum Pruſſorum.

Fuerunt olim in Patria noſtra & alii Sacerdotes, qui propriis ſuis inſigniebantur nominibus. Fuerunt *weidelollæ* ſeu *weidullæ* (pro hodierna dialecto) i. e. *divinatores* rerumque ſacrarum & aliarum arbitri, inſignis olim auctoritatis. Item *Zigonottæ*, quaſi Miſſionarii ſacri. Tum, *Zwalgiones* præſides nuptiarum, *Burtones*, ſortilegi. *Wejones*, i. e. qui ventos flectere noverunt. *Puttones*, qui ex ſpuma potûs divinabant. *Scitones*, qui per amuleta ſacra curabant infirmos *Puſtones*, qui

qui afflatu divina peragebant *Wachkaiti* id eſt præſides Sacrorum pro pecudum emolumento. *Zwakones*, qui futura prædicebant ex candelis accenſis, quique ex fumo candelæ ardentis vel fumigantis. *Orcnes* qui phoenomina obſervabant. *Zweigzzurones* id eſt Aſtrologi, *Lekkuttones*, id eſt aruſpices. *Widdurones*, qui exta victimarum inſpiciebant. *Kraujuttei* qui ex colore vel alteratione ſanguinis futura prænoſcebant. *Sietones*, qui ex motione cribri divinabant. *Zaltones*, qui ſerpentes alebant iisque mira ſua patrabant. *Sapnones* qui ex ſomniis divinabant, & alii plures de quibus fuſiùs in deliciis.

§. V.

De Scientia, Obſervatione temporis & feſtis Gothorum.

CÆſar Com. 6. de Druidibus refert, quod *multa de ſideribus, de mundi & terrarum magnitudine, de rerum natura diſputaverint & juventuti tradiderint.* Cicero de divinitat. dicit ſe *noviſſe aliquem ex Druidibus Divitiacum Ædum nomine qui phiſiologiam Profeſſus fuerat.* Id de Gothis certum eſt, quod temporis ſpatium ex nocte dieque compoſitum ſcil. 24 horarum obſervaverint. Ac potiſſimùm *noctes* numeraverint, teſte Tacito c. l. more *Gallorum* veterum J. Cæſar. l. 16. Tempus quoque diſtinxerunt in *annos & ſeptimanas*, more fere omnium populorum, *Ægyptroni.* Herod. l. 2. *Indorum*, Philoſtratus l. 3. de Vita Apollonii. Certè de Sarmatis & Slavis idem refert Helmoldus l. 1. Chron. Slav. c. 84. Videtur tamen Dysburg. part. 3. Chron. Pr. c. 5. contra ſtatuere. *Diſtinctionem*, inquit, *dierum non habuerunt aut diſtinctionem noctium. Unde contingit, quando inter ſe vel ipſi cum alienis aliquod placitum & parlamentum volunt ſervare, datur certus numerus dierum, quo facto quilibet eorum prima die facit unum ſignum in aliquo ligno & nodum in corrigia & zona. Secunda die addit iterum ſecundum ſignum & ſic de ſingulis; quousque perveniat ad illum diem.* Sed hæc dierum numeratio non involuit ignorantiam numerandi tempora. Scimus enim antiquis temporibus apud Romanos talem numerandi modum in uſu fuiſſe, tempore *Dictatorum.* Ii enim ſingulis annis clavum annorum indicem Capitolio infigebant. Lov. lib. 7. II. Rom. c. 3. quod per *Menſes* quoque diſtinxerint tempora, patet ex Tacit. c. l. *Coeunt*, inquit, *niſi quid fortuitum & ſubitum inciderit, certis diebus cum aut inchoatur luna aut impletur. Per quatuor anni partes tempus quoque* dimenſi ſunt. teſte Tacito c. l. qui ait: *Arva per annos mutant, & ſupereſt ager, nec enim cum ubertate & amplitudine ſoli labore contendunt, ut pomeria conſerant, & hortos ſepiant & prata rigent, ſola terræ ſeges imperatur. Unde annum quoque ipſum non in totidem* (ut nos) *digerunt ſpecies. Hyems ver & æſtas intellectum & vocabula habent: autumni perinde nomen ac bona ignorantur.* Vero ſimile eſt, quod ſacra ſtatis fecerint temporibus. Procopius l. 1. teſtatur quod *Blemiæ* Gothi *Soli* diem

Scientia Druidarum.

H fe-

feſtum celebrârint. Tacitus c. l. quod *Matri Deæ* ſacra fecerint. qua de re ita ille: *Eſt* inquit, *Inſula Oceani coſtum minus, dicatum in eo vehiculum veſte contectum, attingere uni ſacerdoti conceſſum; is adeſſe penetrali Deam intelligit: vectamque bobus fœminis, multa cum veneratione proſequitur. Læti tunc dies, feſta loca, quæcunqne adventu hoſpitioque dignatur, non bella ineunt, non arma ſumunt; clauſum omne ferrum:* Tempore veris hoc eos celebrâſſe feſtum probabile eſt ex eo, quod Romani & aliæ gentes id eo feſtum tempore celebraverint. Herodian. l. 1. Gothi quoque *Lunæ* feſtum celebrârunt. Tac. c. l. Cromerus libr. 1. pm. 432. vult, quod noſtri Gotho-Sarmatæ feſtos dies egerint *Jovi, Marti, Plutoni, Cereri, Veneri, Dianæ ſacros*, quos ſua lingua Poloni *Jeſſam*, *Ladum* ſeu *Ladonem*, *Niam*, *Marzanam*, *Zizililiam*, *Zievanam*, *Pochwiſt*, *Pogoda*, *Lebus Polebus*. Ruſſi autem *Pior*, *Stribum*, *Chorſum* & *Mokoslum* vocârunt. Inque his diebus feſtis, epulis, choreis, luſibusque variis indulgebant iidem.

Feſta Pruſſorum Vet. In *Pruſſia*, quæ eſt Gothorum antiquorum Patria communiſſima, multi celebrabantur dies feſti de quibus in deliciis fuſiùs. Compendio referam potiores. Celebratiſſimum feſtum erat, ita teſtantibus Auctoribus Pruſſicis, dictum *Pergrubrium* de quo *Melatius*, *Mannius*, *Grunaw*, &c. quod in honorem *Pergrubrii Dei fructuum ſerendorum* celebrabatur. Tempore *veris*, ut creditur peragebetur. Alterum erat dictum *Zazinek* id eſt *feſtum meſſium*, quo celebrato meſſis incipiebat. Tertium erat, *Ozinek* quod erat feſtum *Euchariſticum* pro finita meſſe. Dicebatur præterea feſtum *Gurchino* quod ferè cum priori conveniebat. Referunt etiam ſupra citati Auctores feſtum fuiſſe aliquod Pruſſis, quo *capri* mactabantur, multis cum cæremoniis, multisque epulis ac luſibus illud peragebant. Hæc ex antiquis Pruſſorum Commentariis. Adhæc plurima ſunt feſta apud Nadravos, Zalavonos, Zamogethas, ſed præcipuè hæc: Feſtum *Zemelæ* id eſt DEæ terræ, ſolet plerumque celebrari finitis meſſibus, eſtque euchariſticum pro fructibus à DEo conceſſis. 2. *Eidem Deæ* celebratur feſtum tempore veris cui recommendantur *labores agriculturæ*. 3. Feſtum *Herbarum* circa feſtum S. Johannis, *Cupole* dictum pro tuenda hominum pecorumque ſanitate.

Præterea celebrabant plurimi privatim.

Feſtum *Guotæ* pro conſervatione rei familiaris.
Feſtum *Gabjaugæ*, quod fit, quando triturare incipiunt.
Feſtum *Meſſiùm*, & alia, de quibus in deliciis.

§ VI.

De Funerationibus Gothorum.

TAcitus de noſtris ait populis, quod funerum nulla fuerit apud eos ambitio. *Illud*, inquit, *ſolum obſervatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur. Sepulchrum ceſpes erigit. Monumentorum arduum & operoſum honorem ut gravem defunctis aſpernantur.*

nantur. Principum defunctorum cadavera cremabantur; quorum cineres in Urnis collecti, aggeſta deſuper humo tumulabantur, more Scytharum de quibus Herodotus l. 4. quod Principum virorum tumulis injecerint omnes humun certatim & avidè, cupientes tumulos quàm maximos efficere. Honorificum id certe fuit antiquitùs, teſte Lucano lib. 7.

Ritus tumulandorum Corporum.

Et Regum cineres exſtructo monte quieſcunt.

In noſtra Sarmatia plurimi tales reperiuntur tumuli, monticulos dixerim, qui ſi perfodiantur, inveniuntur, adhuc urnæ cum cineribus & oſſibus ſemiuſtis humanis, qui ritus cremandi cadavera in his locis duravit, in Polonia quidem, usque dum converſi ad fidem Chriſti fuerint incolæ, in Pruſſia verò usque ad annum 1249. quo anno mos iſte abolitus, prout patet ex privilegio Pruſſis à Legato ſummi Pontificis ſub illum annum edito, in quo Legatus ait: *Deo & Romanæ Eccleſiæ ac Fratribus ſupradictis, voluntate ſpontanea firmiter & fideliter promiſerunt, quod ipſi & hæredes eorum in mortuis comburendis vel ſubterrandis non ſervabunt*, &c. Illi monticuli dicuntur Polonis *Mogilus*, prout ipſum Loci nomen indicat, ubi ſepulta eſt Wenda; qui usque hodie Mogiła dicitur, & ab illo *Mogilnenſe S. O. Ciſtercienſis Monaſterium*: quamvis tumulus ille Craci, qui eſt ab altera Urbis parte, *Rekawka* dicatur, eò quod multa militum manus illic ediderit. Pruſſis verò tumuli hi dicuntur *Capurn*, à *Kapiu* quod aſcendere; item *pillukżſtei* id eſt *congeſti montes.* Videntur à Scythis Gothisque noſtris Romani didiciſſe morem cadavera ſuorum cremandi, nam teſte Plinio lib. 7. Hiſt. nat. c. 54. *Cadavera cremare apud Romanos non fuit veteris inſtituti; terra condebantur.* Cùm autem cremabantur cadavera optima quæque, ſi vir nobilis fuiſſet, in rogum injiciebantur, ut & canes venatici, equi, arma, ſervi, imò & weideluttæ, defuncto quondam dilectiſſimi, imò etiam chariſſima quandoque uxor, quæ tamen priùs manibus defuncti viri mactabatur. Cæl. Rhod. l. 18. c. 24. Quod ſi fœmina cremabatur: colus injiciebatur, annuli, armilla, ejusque generis precioſa. Vid. Dlugoſ. lib. 2. annal. Pol. ad ann. 997. Poſterioribus temporibus crematione abolitâ lagenâ cereviſiâ plena tumulis defunctorum imponebatur, quales ſæpiùs adhuc in Pruſſia, Zamogethia &c. reperiuntur. In Ruſſia etiam argillacea vaſa, ſi defunctus ditior fuerit, cremato aut mulſo plena, tumulis impoſita, & ut Ruſſi aſſerunt, manibus in longam æternitatis viam oblata, ſæpiùs deprehenduntur usque in præſens. Adhibebant ad funerationes ſuorum multos è ſuis ſacrificulos. Supra citati Pontificii Legati Privilegium meminit Tiluslonum, Linguslonum, qui de defunctarum ſtatu animarum multa referebant defuncti conſangvineis, qua de re in deliciis. Combuſto cadavere convivium parabatur, in quo pro ſalute animæ defuncti libantes potabant; particulas verò carnis ſub menſam projiciebant, de quibus in deliciis. Conf. Hartknoch, Henneberg, & alii. De Scythis ſeu Getis habet Herodotus lib. 4. quod eorum corpora poſt

Tumuli Veterum Gothorum in Polonia Pruſſ. &c.

Mogilus.

Capurn. Pillukżſtei.

Morem Cremandi Cadavera didicerunt Romani à Gothis.

Potus pro Mortuis.

poſt deceſſum è vita, proximi quique in plauſtris collocata ad amicos circumtulerint; quæ ſinguli amicorum excipientes epulum cadaver comitantibus præbuerunt, tam propinquis quam cæteris. Conf. Mela l. 2. de ſitu Orb. c. 1. Reſurrectionem carnis Pruſſo Gothi credebant, non tamen ut debebant: credebant enim, quod res exuſtæ cum defunctis reſurgerent & ſervirent eis ſicut priùs. Dysburg. c. 1. Illud notandum, quod in noſtra Pruſſia & Mazovia olim *Pythagorica de animarum transmigratione ſententia* valuerit. Ita enim nobis refert V. Kadlubko. lib. 4. Chron. Pol. c. 19. p. 512. *Eſt*, inquit, *omnium Getarum*, (per quos Pruſſos ille intelligit) *communis dementia, exutas corpore animas naſcituris denuo infundi corporibus. Quaſdam etiam brutorum aſſumptione corporum bruteſcere.* Hanc ſententiam apud Getas viguiſſe etiam Herodotus c. l. refert. Apud nonnullos ex plebe in Nadravia, Zalavonia, Zamogethia, hic ſenſus eſt usque in præſens; prout ipſimet didicimus, dum audivimus loquentes.

Gothi crediderunt Reſurrectionem.

CAPUT III.
De Regimine Vet. Gothorum.

VErè profectò dixit Ariſtoteles Pol. l. 4. c. 2. *Maximè divinum primumque eſſe Regnum.* Nam judicio Ciceron. lib. 3. de legibus. *Et hic mundus DEO paret, & huic obediunt maria terræque & hominum vita juſtis ſupremæ legis obtemperat, omnesque antiquæ gentes regibus quondam paruerunt, quod genus imperii primum ad homines juſtiſſimos deferebatur; non ambitione populari, ſed ſpectata inter bonos moderatione* Juſtin. l. 1. Apprimè his inſiſtebant veſtigiis noſtri populi, qui teſte Tacito de Morib. Germ. *Reges ex nobilitate, Duces ex virtute ſumebant. Nec Regibus infinita aut libera poteſtas, & Duces exemplo potiùs quam imperio. Si prompti, ſi conſpicui ſi ante aciem egerint, admiratione præerant.* Scilicet *mox Rex vel Princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia eſt, audiuntur, auctoritate ſuadendi magis quam jubendi poteſtate.*

§. I.
De Republica Gothorum.

GOthorum Rempublicam, mixtam quondam ex *Monarchia* & *Democratia* fuiſſe videtur expreſſè Tacitus c. l. innuere, dum de Gothonibus hæc aſſerit: *Gothones*, inquit, *regnant paulo jam addictiùs, quam cæteræ Germanorum gentes; nondum tamen ſupra libertatem. Rugii & Lemovii erga Reges obſequium. ------ nam de minoribus rebus Principes conſultabant, de majoribus omnes. Ita tamen ut ea, quoque, quorum penes plebem arbitrium eſt, apud Principes pertractarentur. ---- Licebat apud concilium accuſare quoque & diſcrimen capitis intendere ---- Eligebantur in iisdem*

Reſpublica Gothorum mixta.

con-

conciliis & Principes, qui jura per pagos vicoſque reddebant. Ad *Democratiam* tamen nonnullas Gothorum gentes inclinâſſe, idem Tacitus hiſce teſtatur verbis: *Coeunt, niſi quid fortuitum & ſubitum inciderit, certis diebus, cùm aut inchoatur luna aut impletur. Illud ex libertate vitium: qui non ſimul nec juſſi conveniunt ſed alter & tertius dies cunctatione coeuntium abſumitur. Ut turbæ placuit, conſidunt armati. Silentium per Sacerdotes, quibus tum coercendi jus eſt, imperatur. Eliguntur in iisdem conciliis & Principes, qui jura pe- pagos & vicos reddunt. Centeni ſingulis ex plebe comites, conſilium ſimul & auxilium adſunt.* Ex quibus colligitur, imprimis magnam fuiſſe apud Gothos, quanquam Ethnicos & fere barbaros Sacerdotum auctoritatem, utpote qui de omnibus controverſiis publicis privatisque conſtituebant. De quo & Cæſ. com. 6. Parem fuiſſe & *Comitum auctoritatem*, ex iisdem Taciti verbis evincitur, utpote qui ad ſecretiora ſemper admittebantur conſilia; nec rubor erat Principibus, inter comites adſpici, inquit idem, qui etiam de comitibus hæc inter alia habet: *Magna & Comitum æmulatio per virtutem, quibus primus apud Principem ſuum locus, & Principum, cui plurimi & acerrimi comites. Et ipſa plerumque fama, ex numero & virtute comitum parta, bella profligabant.* Cæterùm libertatis erant tenaciſſimi Gothorum animi. Hinc quanquam Marcomannorum Quadorumque erga Principes ſuos prædicetur obſequium: nihilominùs, cum *Marobo-duus* Monarchicum imperium ſeu abſolutum affectaret, pulſus eſt regno à *Catvalda*, de quo Tacit Annal. lib. 2. Verùm etiam hic elatus ſuperbiâ, cum libertati ſuorum adverſaretur, à *Jubilio* regno eodem pulſus eſt. Ita & *Arminius* Rex Gotho-Svevorum, cum ſimiliter victoriis elatus impotens in ſuos dominium exerceret averſos ſuorumque animos, ſuoque adverſus regimini expertus eſt. *Vannius* quoque Rex Quadorum Marcomannorum Svevorum &c. ob eandem cauſam poſt 30. annos regno dejectus eſt. Scilicet non patiebantur hæ gentes ſuperba ſuorum Principum ingenia, nec deſpotica regimina: quin obſtrictos ſibi illorum animos in tantum habebant, ut ipſosmet quandoque pro *Legatis* adhibuerint, & ad alios expediverint Principes. Sic de *Maſio* Marcomannorum Rege, quod cum *Ganna* Virgine Sacerdote expeditus fuerit Romam ad Neronem Imperat. ſcribit Tacitus l. 13. Annal.

Sacerdotum auctoritas & Comitum.

Gothi libertatis tenaciſſimi.

Reges Gothorum pro Legatis adhibiti.

Reditus ſive proventus annuos, non fuiſſe certos Gothorum Regibus, idem teſtatur Tacitus de Germ. moribus. *Mos erat civitatibus*, verba ſunt Auctoris, *ultrò ac viritim conferre Principibus vel armentorum vel frugum aliquid; quod pro honore acceptum etiam neceſſitatibus ſubvenit. Comitibus epulæ, & quanquam incorupti, largi tamen apparatus pro ſtipendio cedebant. Materia autem munificentiæ per bella & raptus. Magnumque comitatum non niſi vi belloque tuebantur. Exigebant enim comites, Principis ſui liberalitate, illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam.* Notandum tamen, non eandem omnibus fuiſſe Gothorum populis, ne-

Reditus Regum Gothicorum quinam olim fuerit?

 que

Reſpublica Peucinorum Finnorum.

que ſemper æqualem Reipublicæ formam. *Peucini* ſiquidem *Fenni* ſeu *Finni*, *Vendi*, de quibus Tacit. c. l. latrociniis pererrabant, more Scytharum, de quibus Juſtin. l. 2. Hiſt. c. 2. ita ait: *Nec domus illis ulla, aut tectum aut ſedes eſt, armenta & pecora ſemper paſcentibus & per incultas ſolitudines errare ſolitis. Uxores liberosque ſecum in plauſtris vehunt: quibus coriis imbrium hyemisque cauſâ tectis pro domibus utuntur. Juſtitia gentis ingeniis culta non legibus: Nullum ſcelus apud eos furto gravius Aurum & Argentum non perinde ac reliqui mortales appetunt: Lacte & melle veſcuntur. &c.* Talis fermè fuit Reſpublica *Æſtiorum*: de quibus Tacitus c. l. ita. *Dextro*, inquit, *Svevici Maris litore Æſtiorum gentes alluuntur, quibus ritus habitusque Svuevorum, lingua Britannicæ propior. --- Rarus ferri, frequens fuſtium uſus. Frumenta cæterosque fructus, patientiùs quàm pro ſolita Germanorum inertia laborant. Sed & mare ſcrutantur, & ſoli omnium hominum Succinum, quod ipſi Gleſſum nominant, inter vada & in ipſo littore legunt.* Probabile tamen eſt, hos populos ut & cæteros Duces ſibi in Expeditionibus bellicis elegiſſe, quos Romani, Imperatores, appellabant. Quibus tamen exemplo potiùs quàm imperio præeſſe decretum erat, adeoque *neque animadvertere, neque verberare quidem permiſſum* Tac. E contra *Svevorum Reges liberiùs imperabant; nam apud illos & opibus honos, eisque unus imperitabat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi.* Sed & hi ſervitutis pertæſi, libertatem deinde ſunt amplexi. Adam Brem. de his ita. *Reges habent ex genere antiquos, quorum tamen vis pendet in populi ſententia. Quod in communi laudaverint omnes, illum confirmare oportet.* De *Herulorum* & *Lemoviorum* Principibus hæc Procopius l. 3. R. Goth. refert. *Quanquam & antea nomen quidem apud eos Rex habuit; à privato autem viro nihil verè differebat.*

Æſtiorum.

Ducum bellicorum auctoritas.

§. II.

De Electione Regum, deque Conventibus & nobilitate Gothorum.

R*Itum deligendi Reges*, quem obſervârunt Gothi, deſcribit Tacit. l. 4. Hiſt. in *Brione*, *qui impoſitus ſcuto more Gentis & ſuſtinentium humeris vibratus Dux deligebatur.* Sic & *Gundobaldus* Gothus, de quo Gregorius M. lib. 7. c. 10. *Parmæ*, inquit, *ſuperpoſitus, Rex eſt elevatus. Sed cùm tertio cum eo gyrarent cecidiſſe fertur ita, ut vix manibus circumſtantium ſuſtentari potuiſſet.* Conf. Aimonius l. 3. c. 6. Hinc ille Rex Gothorum apud Caſſiodorum l. in Varior. *Indicamus*, inquit, *parentes noſtros Gothos inter procinctuales gladios more majorum, ſcuto ſuppoſito regalem contuliſſe nobis, DEo præſtante, dignitatem, ut honorem arma darent, cui opinionem bella pepererant.* Electi in Regnum curru vehebantur à *Cervis* ſubjugalibus trahi ſolito. Talem currum Regis Gothorum cum 4 Cervis in triumpho Aurelianus duxit de quo Flav. Vopiſc. Moderabantur autem Reges Gothici

Currus Regius Gothorum

thici conventus populares, *auctoritate ſvadendi magis, quam jubendi poteſtate. Ut turbæ placuit, conſidebant armati. Silentium per Sacerdotes, quibus tum & coercendi jus erat, imperabatur. Mox Rex vel Princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout Decus bellorum, prout facundia erat, audiebantur. --- ſi diſplicuit ſententia, fremitu aſpernabantur; ſin placuit frameas concutiebant. Honoratiſſimum aſſenſûs genus erat, armis laudare.* Talia peragebantur in *conviviis.* Nam teſte Tacito eodem, *& de reconciliandis invicem inimicis & jungendis affinitatibus & adſciſcendis Principibus, de pace denique & bello, plerumque in conviviis conſultabant, tanquam nullo magis tempore, aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat. Gens,* inquit idem, *non aſtuta nec callida, aperit tunc ſecreta pectoris, licentia loci ergo detecta & nuda omnium mens poſtera die retractantur. Et ſua utriusque temporis ratio eſt. Deliberant, dum fingere neſciunt: conſtituunt, dum errare non poſſunt.* Ad concilia adhibebantur quoque *Mulieres:* Nam *ineſſe iis ſanctum aliquid & providum putabant, nec aut conſilia eorum aſpernabantur, aut reſponſa negligebantur.* In his conciliis more Sarmatarum noſtrorum fas erat litem movere, accuſare & diſcrimen capitis intendere. *Diſtinctio* tamen *pœnarum* ex delictis fuit. *Proditores & transfugæ arboribus ſuſpendebantur; ignavi & imbelles, & corpore infames, cœno ac palude, injecta inſuper crate mergebantur. -- in levioribus delictis pro modo pœnarum equorum pecorumque numero convicti mulctabantur. --- Pars multa Regi vel civitati, pars ipſi, qui vindicabantur, vel propinquis ejus exſolvebantur.* Tac. c. l. Illud notandum de iis refert idem quod *pauciſſima* fuerint in tam numeroſa gente *adulteria, quorum pœna præſens & maritis permiſſa. Acciſis crinibus nudata adultera, coram propinquis expellebatur domo & per omnem vicum verbere agebatur. Publicatæ enim pudicitiæ nulla venia.*

Poenas pro varietate Criminum.

Rarum adulterii crimen, & quæ ejus poena?

Cæterùm habita eſt ſemper *Regii ſangvinis* æſtimatio, neque facilè repudiabant ſucceſſorem, qui imperio dignus cenſeri poterat. Deficiente maſcula prole, ſæpiùs etiam fœminæ eligebantur, quod de Sitonibus Tacitus: & patet ex hiſtoricis rerum Sarmaticarum. Quod ſi nullus è Regia ſtirpe ſuperſtes fuerit, ex nobilitate Reges aſſumebantur.

Regii Sanguinis æſtimatio.

Nobilitatis Gothicæ familias plurimas legimus, plures cenſemus fuiſſe. Inter omnes autem eminuiſſe credimus familias *Amalorum* & *Baltorum* ex quorum Proſapia Reges electi, qui totius fere Europæ imperium tam in Oriente quàm Occidente obtinuerunt. Joh. Magnus in Hiſt. Goth. lib. 3. c. 21. pm. 151. Hiſce acceſſit familia Sereniſſima virorum de *Hanila* vel *Hunila,* regiæ ſtirpis Gothicæ. De qua, fœmina quædam ſingularis exempli, auctore Imperatore Auguſto, *Aureliano,* nupſerat *Bonoſo,* qui deinde poſt fata Aureliani *Imperator Roman.* factus. De hac muliere exſtat apud Flav. Vopiſcum Epiſtola Aureliani ad *Gallonium Avitum* ſcripta his verbis: *Superioribus literis ſcripſeram, ut optimates Gothicas apud Perinthum collocares decretus*

Nobilitas Gothica. Familia Amalorum & Baltborum.

tis ſalariis; non ut ſinguli acciperent, ſed ut ſeptem ſimul unum convivium haberent. Cùm enim diviſæ accipiunt, & illæ parùm ſumunt, & Reſpublica plurimùm perdit. Nunc tamen, quoniam placuit Bonoſo *Hanilam dari, dabis ei juxta breve in ſcriptum omnia quæ præcipimus: ſumptu etiam publico nuptias celebrabis. Brevis numerus fuit. Tunicas palliolatas, hyacinthinas, ſubſericas: tunicam auro clavatam, ſubſericam librilem unam, interulas dilores duas & reliqua, quæ matronæ conveniunt. Ipſi dabis aureos philippeos centum, argenteos antoninos mille, æris HS. decies.* Fœmina hæc tanto in honore habita, ut etiam poſt fata mariti proventus illi conceſſi obvenerint usque ad ſui diem obitus. Atque de hac Hanilorum familia, videtur orta eſſe Illuſtriſſima *Danilorum Proſapia*, priore commutata litera, aut certè contracta voce, ut qui de Hanila olim nunc DAnila dicantur. Eamque meritò credimus eſſe Sereniſſimam Danilowiciorum familiam, Magnorum in Sarmatia noſtra Parentem virorum, Heroum altricem inſignium, qui nunc etiam prima Regni Principis ſceptroque proximi obeunt officia; ſed imprimis Sereniſſimi ac Victorioſiſſimi Monarchæ, Magni Herois Joannis III. qui de ea Maternam ducit originem, Regali ſublimem throno, junctam ſangvine, & ad immortale decus ſangvinis ac poſthumam Nominis famam glorioſiſſimè evectam. Præter has in Sarmatia noſtra adhuc florentes ex Gothorum ſtirpe ductas familias Sarnicius, Henneberg, & alii referunt. Recenſere placuit nonnullos ordine Alphabetico per nomina Illuſtrium Virorum, qui de Sangvine Gothico ſuam usque huc ducunt originem ſcil. *Bal, Barzy, Ciolek, Czanilo, Dembrodes, Derſniak, Firley, Fredro, Frykacź, Faruray, Gamrath, Gniewoſz, Guttowie, Garniſź, Harinek, Hinek, Herbort, Jaxa, Jordan, Kloſas, Kula, Lesgwanus, Meriken, Niemſta, Perbant, Plaza, Rozen, Szary, Szafraniec, Swidwa, Smolik, Strzala, Tarlo, Talaphus, Zareba.*

Danilorum.

Familiæ Gothicæ in Patriam noſtram.

§. III.

Catalogus Regum Gothicorum.

RECenſet illos Lazius lib. 10. Nos hîc ex illo, ſed ut ordine referamus, inprimis eos, qui ad *Viſtulam* habitârunt, antequam in Daciam tranſiiſſent, proponemus: tum deinde, qui in Dacia & alibi regnârunt.

Reges Gothorum ad Viſtulam.

1. *Captus* & *Augis*.
2. *Oſtrogothus*.
3. *Wil*.
4. *Athal*.
5. *Athaulphus*.
6. *Waldulphus*, Primus Iſtri ripam attigit.
7. *Wintarius*, Domitor Slavinorum, qui *Antes* dicebantur, & Hunnorum, occiſus tandem dolo à *Balambero* Hunnorum Rege.

8. Hu-

8. *Hunimundus* Svevos vicit.

9. *Toriſmundus* Gepidarum victoriâ clarus.

10. *Walamirus.* Hujus filii ſub Attila militabant, inquè Pannonia agris potiti & in Slavonia verſùs Boſniam.

§. IV.

Reges Gothorum in Dacia & Thracia.

1. *Karullis*, (juxta alios *Corillus*,) i. e. bellator primus in Dacia Rex Gothorum.

2. *Barviſta* aliis *Berviſta*, primus Daciæ limites egreſſus ad Danubii ripam. Contra cujus latrocinia *Auguſtus* Cæſar bellum diuturnum & difficile geſſit.

3. *Geſtiblindus*, Tiberio Imperante.

4. *Derleneus*, Domitiani legiones delevit, Fuſcum, Oppium Sabinum proſtravit.

5. *Decebatus*, victus à Trajano, ſeipſum occidit.

6. *Carullis*, tempore Adriani Imper.

7. *Ungvinus* ſub Marco Cæſare.

8. *Arganus.*

9. *Guadericus.*

10. *Oſtrogotha.*

11. *Smardus*, Decium vicit, Moeſiam depopulatus.

12. *Onyba*, Anno 256.

13. *Reſpa.*

14. *Kuinabaudes* ſub Claudio Ao. 273.

15. *Baducas* aliis *Vaducas*: memoratur à Jornande cum altero ſimiliter Gothorum Rege *Varo.*

16. *Aoricus.*

17. *Gebericus.*

18. *Ingivo* ſeu *Indigoja.*

19. *Ermanaricus* apud Marcell. l. 31. à Balambere Hunnorum Rege victus, reliquit filium Henimundum, quem Hunni Gothici ad Viſtulam præfecerunt.

20. *Hunimundus.*

21. *Sigiſmundus* apud Jornandem.

22. *Alaricus* & Fridericus à Valente Imperat. in Thracia recepti, ipſum poſtea debellârunt, referentibus Marcellino & Damaſceno.

23. *Theomarus* Moeſiam occupavit.

24. *Rhadagaiſus* à Theodoſio Pannoniæ partem occupavit.

25. *Atvaricus* in Pannonia latè dominatus.

26. *Alaricus* totam Illyricam occupavit & usque ad Italiæ limites rerum potitus eſt.

§. V.

Reges Oſtrogothorum in Italia.

1. *Alaricus* Poſſeſſor Illyrici, Macedoniæ, Romam cæpit & cum ea magnam partem Italiæ.

2. *Theodoricus* Reg. Oſtrogoth. Leonis Imperat. adoptivus filius Herulis debellatis, Regeque eorum Odoacre occiſo, Italiam cum ſua Urbe principe Gothorum Imperio ſubjecit, reliquit filias duas Amalaſwentam & Teutoſzwentam, quæ Theodato Gothorum Regi in Italia nupſit.

3. *Theodatus* filius Vederici Gubernatoris in Gallia filius, nepos Beriſmundi, pronepos Torismundi Gothorum Regis ad Viſtulam.

4. *Alaricus II.* gener alter Theodorici, rerum in Latio potitus reliquit ſucceſſorem filium.

5. *Alaricum III.*

6. *Athalaricus* frater Alarici, cujus filia Amala Freda nupſit ſequenti.

7. *Vitiges*, qui cum Imperat. Juſtiniano multa bella geſſit.

8. *Illovadus* occiditur à Narſete.

9. *Alaricus IV.*

10. *Totilas.*

11. *Theias* ultimus Rex Gothorum in Italia.

§. VI.

Reges Viſogothorum in Gallia.

1. *Alaricus* ille Poſſeſſor Illyrici, qui Romam cæpit, pulſus ex Italia, Galliæ partes quasdam obtinuit.

2. *Ayſtulphus*, hujus filius. Hic Tholosâ occupatâ, Gothos propagavit ex Lugdunenſi Provincia in Aquitaniam translatos.

3. *Theodoricus*, occiditur ab Attila Hunnorum Rege in Campis Catalaunicis.

4. *Turismundus* filius Theodor. Hunnos ultra Rhenum profligavit.

5. *Dietmarus* occupavit Sequanam Galliam & Narbonenſis partem, à quo volunt Burgundiones deſcendiſſe.

6. *Gundokarus* ſub Theodoſio Jun. præfuit Gothorum reliquiis in Gallia.

§. VII.

Reges Viſogothorum in Hiſpania.

UNde poſtea mixti *Romanis*, *Svevis*, *Alanis*, *Mauris & Saracenis* Reges Arragoniæ, Caſtiliæ, Legionis, Aſturiæ, Galliciæ, &c. Gothiæ ſeu Cathalaniæ defluxerunt, à quibus hujus ſeculi Imperatores Rom. ac Hiſpaniæ Reges ſuam deducunt proſapiam.

1. *Alaricus* cujus ſuperiùs mentio facta, Illyrici Dominus. Italiam ingreſſus, vaſtata urbe, in Gallias ſe contulit A. O. 411. obiit Principatûs ſui 23. Tentaverat hic armis Hiſpanias, nondum ingreſſus, relicta hac ſorte ſucceſſori.

2. *Athaulphus*, eligitur à Gothis, jam jam expeditionem in Hiſpanias inſtituentibus. Is ſocius Romanorum, expulſis Vandalis, & Ala-

Alanis, citeriorem Hiſpaniam occupavit, à ſuis peremptus, ſepultus Barcinone, cujus Epitaphium tale refert Lazius.

Bellipotens valida natus de Gente Gothorum,
Hic cum ſex natis Rex Athaulphe jaces.
Auſus es Hiſpanas primus deſcendere in oras
Quem comitabantur millia multa virûm.
Gens tua ſed natos & te invidioſa peremit
Quem poſt amplexa eſt Barcina magna gemens.

3. *Sigericus* A. C. 440. interimitur à ſuis ſeptimo Principatûs anno, relictis filiis Geſerico, Verico, Gundamendiſo, Traſamundo & Ilderico.

4. *Vallia*, electus à Gothis A. C. 447. aſſociatus Romanis Alanos in Boetica vicit, Svevos & Vandalos profligavit. Hic conſtituerat trajicere in Africam.

5. *Theodoricus* Rex Galliæ & Hiſpaniæ bello contra Hunnos periit, relictis filiis Turiſmundo, Theodorico, Henrico.

6. *Turiſmundus* Attilam profligavit ultra Rhenum.

7. *Theodoricus*, victo Retiario Svevorum Rege, Galleciam Gothorum imperio ſubjecit, interficitur à fratre Henrico A. C. 482.

8. *Henricus* Regnum Gothiæ in citeriori Hiſpania ſibi vendicavit A. C. 483. Primus genti ſuæ leges tulit.

9. *Alaricus* Hennæ filius A. C. 500. regnavit ann. 13.

10. *Almericus* fil. Rex Gothorum & Vaſcorum in Hiſpan.

11. *Teuto* conſobrinus Amalaſwentæ Almerici matris. A C. 623.

12. *Teudoſilus* A C. 535. occiſus apud Seviliam.

13. *Agila*, à Romanis prælio victus, à ſuis occiditur.

14. *Athanagildus* A C. 543. cujus filia Brucaldis Sigiberto Regi Francorum nupſit.

15. *Limba*, aliis *Luiba*, Rex Goth. apud Narbonam.

16. *Leonegildus* Limbæ frater, ſubjecit Gothiæ Cantabriam Nageriam, Saberiam. Svevos, rege eorum Andeca ſuperato expulit, Arianam hæreſim auxit ſuâ perfidiâ.

17. *Recarredus*. A C. 576. Rex Catholicus, Synodum Toleti indixit, Arianiſmum exſtirpavit.

18. *Luyba*, fil. Reccaredi primo anno interficitur à Vecterico, Illuſtri Gotho, Floruit illo tempore S. Fulgentius.

19. *Vectericus* interimitur primo regiminis anno.

20. *Gundemarus*, A C. 593. vicit Romanos & Vaſcones.

21. *Siſebutus*, A C. 595. Romanos ex Hiſpaniis expulit.

22. *Riccaredus II.* A C. 622.

23. *Svintilla* filius Reccar. interficitur ab Arianis A C. 628.

24. *Rachimirus* fil.

25. *Siſunandus*, frater Rachimiri A C. 636.

26. *Swintilla II.* A C. 640. frater Siſunandi.

27. *Tal-*

27. *Talga* A C. 644.

28. *Sindaſundus* Regnum occupavit Gothorum apud Toletum.

29. *Riſiſundus* A C. 656. celebravit tres Synodos Toleti.

30. *Baruba* A C. 674. Mauros cum Claſſe 270. navium irrupturos in Hiſpaniam fugavit, veneno ſublatus.

31. *Eringus*, ex cognata Sindaſundi A C. 686.

32. *Egita*, Gener Eringi. A C. 693.

33. *Vitiſſa* A C. 698. occidit Favillam Ducem Cantabriæ, cujus filius Pelagius Regnum Hiſpaniæ ſibi vendicavit, à Roderico excæcatus in exilium miſſus.

34. *Coſta*, filius Theodorici, qui fuit frater Vitiſſæ.

35. *Rodericus* frater Coſtæ. Hujus tempore Mauri in Hiſpaniam trajecerunt A C. 714. qui per totam Hiſpaniam graſſati multa damna intulerunt Gothis, ſola Cantabriâ & Aſturiâ virtute Pelagii ſervatâ.

36. *Pelagius* filius Favillæ, patruus Roderici, Legionem eripuit Mauris. Succeſſit

37. *Favilla* filius, ab urſo in venatione interemptus.

38. *Ildifonſus* aliis Alfonſus I. Luſitaniam abſtulit Saracenis.

39. *Troilla* interfecit Maurorum 50000. Occidit fratrem Wimeranum, occiditur à fratre altero Aurelio.

40. *Aurelius* adoptavit fratris filium Veramundum. Privatur regno à Silo genero Alfonſi.

41. *Silo* profligavit ex regno Veramundum Sororium.

42. *Muregatus* Alfonſi filius naturalis A C. 783. Legionis regnum auxilio Saracenorum occupavit.

43 *Veramundus* filius Froillæ, regni pertæſus monaſterium ingreditur.

44. *Alfonſus II.* ope Caroli M. Saracenos profligavit, Uliſiponeam iis eripuit; fecit dedicari Eccleſiam S. Jacobi Compoſtellæ.

45. *Reimirus* filius Veramundi. Normannos profligavit A C. 730.

46. *Ordonius*, fil. Reimiri. Duas inſignes Victorias retulit, unam de Vaſconibus, alteram de Mauris. Abſtulit Saracenis Salamanam & Cauriam Civitates.

47. *Alfonſus III.* Ordonii filius A. C. 846. Vicit Saracenos & duas in Portugallia civitates inſignes cepit, à Joanne VIII. Papa titulum Catholici accepit.

48. *Gratias I.* filius Alfonſi Aulam Regem Saracenorum cepit captivum.

49. *Ordonius* bellum geſſit cum Abdera Rege Saracenorum. Ob tyrannidem ſui Principis Caſtellenſes defecerunt à regno Legionenſi.

50. *Froilla II.* Frater Ordonii Obiit A. C. 899.

51. *Alphonſus IV.* filius Froillæ, fratri Raymiro reliquit regnum privatus obiit.

52. *Reimirus II.* filius Froillæ II. Hic ope Ferdinandi Condeſalvi, Caſtellæ Comite, Arabes ad Oſvanam civitatem vicit, in quo Abenagrum Cæſar-auguſtæ Regem Saracenum vivum cæpit.

53. *Or-*

53. *Ordonius IV.* filius Raimiri II. Rex Legion. A. 916. ducta conjuge Urraca filia Ferdinandi Condeſalvi, ſed à fratre Sanctio debellatus, abiit in Gallæciam, unde Reges Gallæciæ deſcendunt.

54. *Ordonius V.* à Sanctio regno Legionis exuitur.

55. *Sanctius I.* Ordonii IV. filius interiit intoxicatus A. C. 928.

56. *Reimirus* Domitor Saracenorum & Normannorum.

57. *Veramundus II.* Ordonii IV. fil. vario Marte bellum cum Mauris geſſit.

58. *Alfonſus V.* Veramundi fil. interficitur in prælio à Mauris.

59. *Veramundus III.* A. C. 1015. poſtremus familiæ Pelagii Regis Legionis, Sororis maritus ſucceſſit.

60. *Ferdinandus* Comes Caſtellæ Gothus Rex Legionis & Gallæciæ A. C. 1025. bellum geſſit cum Garzia Navarræ Rege, eum vicit & Regnum Navarræ occupavit. Saracenis eripuit Conimbricam, Galleciam Valentiam & partem majorem Portugalliæ.

61. *Sanctius* Ferdinandi filius Rex Caſtellæ, Portugalliæ, Gallæciæ; ex inſidiis à Velidodolfo necatus.

62. *Alfonſus VI* Sanctii Frater, Rex Legionis, Caſtellæ, Gallæciæ.

63. *Alfonſus VII.* ex filia Alfonſi VI. nepos, felix contra Saracenos bellator.

64. *Alfonſus VIII.* Raimundi Berengarii Com. Barcinonenſis ex Urraca Alfonſi VI. filia filius. Sub hoc floruerunt Avicenna & Averrois.

65. *Sanctius III.* filius Alfonſi VIII. Rex Caſtellæ & Legionis A. 1176. interfectus ab Arabibus. 1177.

66. *Alfonſus IX.* Sanctii filius A. C. 1177. geſſit graviſſimum bellum cum Arabibus, quorum 200000. interfecit, obiit A. C. 1215.

67. *Henricus* fil. Alfonſi IX. Rex Caſtell. cujus ſoror Berengaria nupſit Alfonſo X. Regi Legionis.

68. *Alfonſus X.* cui ſucceſſit filius.

69. *Ferdinandus II.* Rex Legionis & Caſtellæ. Is Saracenos ex omni tractu Hiſpaniarum expulit, Vandaliâ, Hiſpali, Cordulâ recuperatis, Granatæ Regem ſtipendiarium fecit, obiit 1262.

70. *Alfonſus XI.* Ao. 1260. Hic electus erat in Imperatorem ante Rudolphum Habsburgenſem.

71. *Sanctius IV.* Rex Caſtellæ & Legionis contra Mauros feliciter pugnat.

72. *Ferdinandus III.* Rex Legionis & Caſtiliæ.

73. *Alfonſus XII.* A. C. 1308. Rex Caſtil. & Legionis.

74. *Petrus* filius Alfonſ. Rex Caſt. & Leg. A. 1350. à fratre Henrico ob Tyrannidem jugulatus.

75. *Henricus* frater Rex Caſtiliæ, Legionis, Arragoniæ.

76. *Joannes I.* A. C. 1377. patri ſucceſſit, reliquit ſucceſſorem.

77. *Henricum* filium ex Catharina Ducis Landæſtrenſis filia. Hic Alfonſo Ferdinandi filio adminiſtrationem principatûs Auſtriæ contulit.

78. *Joannes II.* rexit Paterna Regna 50. annis obiit 1446.

79. *Henricus IV.* Caſtellæ, Legionis Rex. 1454.

80. *Ferdinandus IV.* Joannis Arragoniæ Regis filius, Regna Caſtilliæ & Legionis obtinuit.

81. *Joannes V.* Rex Arragoniæ, Legionis, Caſtellæ, Granatam Mauris eripuit, *Fortunatam Inſulam* ſibi ſubjecit, *Novum Orbem* invenit, qui dicitur *America*, progenuit ex Iſabella conjuge.

1. *Joannem* filium, qui ante Patrem obiit improlis. Et filias quatuor. Scilicet.

1. *Iſabellam*, quæ *Alfonſò* Portugalliæ Regis filio, eoque vitâ functo *Emanueli* Portugalliæ Regi juncta eſt.

2. *Mariam*, quæ poſt fata ſororis Emanueli nupſit.

3. *Catharinam*, quæ Anglia Regis filio Artaro copulata & exinde Henrico VIII. Angl. Reg. tradita ſed ab ipſo tandem repudiata eſt.

4. *Joannam*, Philippo Archiduci Auſtriæ, Maximiliani Cæſaris filio, una cum Regnis tradita;

Hæc *Joanna Mater Caroli V. & Ferdinandi I.* Imp. P. R. Rom. à quibus modernus Imperator & Rex Hiſpaniæ deſcendunt.

Catalogum *Regum Arragóniæ & Regum Navarræ*, ex Gothorum ſtirpe olim deſcendentium, qui ſcire deſiderat, legat *Lazium* qui de iis lib. 10. ad quem benevolum Lectorem, ſtudio brevitatis, remittimus.

Coronis Lib. IV. & Orbis Gothici.

INDEX RERUM
LIB. IV.
ORBIS GOTHICI.

A.
Acies Gothorum. 14
Adulterii crimen rarum apud Gothos. 35
Aeſtiorum cultus divinus. 22
agricultura. 15
Agricultura Svevorum. 15
Scytharum. 15
Pruſſorum. 15
Æſtiorum. 15
Amalorum familia Regia. 35
Amicitiæ ſtudium apud Gothos. 17
Arbores ſacræ. 24
Auguria Gothorum. 26
Auſpicia Gothorum. 26

B.
Balthorum familia Gothica. 35
Barbara Vox unde. 15
Barrytus Gothorum. 17
Vox Bier unde Nomen? 7

C.
Capurn Pruſſorum. 31
Carrago Gothorum. 14
Caſtrorum metatio apud Gothos. 13
Cereviſia unde dicta. 7
Cinnabar Gothorum. 3
Comitum Gothicorum electio. 13
æmulatio. 13
Auctoritas. 33
Cremandi Cadavera, ritus, apud Gothos primùm fuit. 31

D.
Danilorum ſeu Danilowiciorum familia Goth. 36
DEus, cur Polonis Bog dictus? 21
cur Pruſſis Diewas? 21
Dii Gothorum. 20
Diis annumerati Reges. 20
Divites. 20
Stellæ &c. 2
Druidæ Gothorum & Gallorum. 27
Druidæ vox unde? 27

Du-

Ducum Gothic. Auctoritas. 13. 34
E.
Equorum Præſagia apud Gothos. 26
Eruditionis Encomium. 19
F.
Feſta Gothorum. 29
Blemiarum. 29
Pruſſorum Polorum, Ruſſorum. 30
Fides Gothorum. 17
Fœminæ Goth. ſacrificulæ. 28
Fontes ſacri. 25
Funerationes Gothorum. 30
G.
Gothorum Status Oeconomicus. 1. ſeqq.
Habitationes 2. viæ pagique. 2
--- earum formæ. 2
Burgi. 2. ſunt Burgwalka. 3
habitus Corporis externus. 3
Gothi candidi cute. 3
capillati. 4
frigoris & æſtus patientes. 4
Crines ad cervicem retorquent. 4
barbam curant. 4
primi Auctores cereviſiæ. 7
habebant mulieres in caſtris. 14
crediderunt reſurrectionem mort. 32
libertatis tenaciſſimi. 33
qualiter eligunt Reges. 34
Gothorum fœminæ formoſæ. 5
--- habitus corporis internus. 5
--- quotidiana lotio. 5
--- veſtes. 5
--- fœminarum mundus. 6
--- Strata. 6
--- Menſæ & Convivæ. 7
--- cibus. 7
--- potus. 7
--- fuit cereviſia. 7
--- --- Lac. 7
Cruor. 7
--- Vinolentia. 7
Convivia. 8. 9
ebrietas. 8. 9
menſæ. 9
viſa ad potum. 9
Schola ſeu καυsźeles. 8
Conjugia. 9
eorum mulieres raptu maritatæ. 10
amor in liberos. 10
Pietas in Parentes. 11
Amor Conjugalis. 11
educatio liberorum in armis. 11
Gothorum militia. 12
Duces eorumque Auctoritas. 13
Comites. 13
Caſtrorum metatio. 13
Acies. 14
Carrago. 14
Barrytus. 15
Gothorum ſtudia. 15
venatio urſorum. 15
agricultura. 15
Gohorum mercatura. 16
Navigatio. 16
Natatio. 17
Gothorum Virtutes & Vitia. 17
fides. 17
religioſitas. 17
pietas liberorum. 17
amor parentum. 17
honeſtas. 17
amicitiæ ſtudium. 17
liberalitas. 17
moderatio animi. 18
temperantia. 19
Ingenium. 19
Gothorum ſacra. 19
--- Dii 20. Gout. 20
--- Mars & Hercules. 23
eorum ſimulachra. 24
Theologia. 23
Ritus ſacri. 24
Arbores ſacræ. 24
Hoſtiæ. 25
divinationes 26. auſpicia 26. ſortes. 26
auguria 26. Equorum præſagia. 26
ferarum & ſerpentum præſagia. 27
Miniſtri ſacri. 27
Druidæ. 27
fœminæ ſacrificulæ. 28
Scientia. 29
Obſervatio temporis. 29
feſta. 29
funerationis. 30
Tumuli. 30
Gothorum Regimen. 32
Reſpublica. 32
regum reditus. 33
Gothorum conventus publ. 34
Nobilitas. 35
familiæ nobiles, in Polon. & Pruſſ. 36
Reges. 35
ad Viſtulam. 36
in Dacia. 37
in Thracia. 37
in Italia. 37
in Gallia. 38
in Hiſpania &c. 38
Gouda Gothor. quid? 21
Grani Gothorum quid? 3. 4

Her-

H.
Hercules & Mars Gothorum. 23
Homo Victima. 25
Honeſtas Gothorum. 17
Hoſtiæ Gothorum. 25

I.
Ingenium Gothorum. 19
Iſis antiquis quid? 22
Iſis Gothorum. 22

L.
Liberalitas Gothorum. 17

M.
Mars Gothorum. 23
Mercatura Gothor. ib.
Mercurius Gothorum quis? 22
Militum colligendorum ratio apud Goth. 10
Moderatio animorum Goth. 18
Mogika Gothor. 31
Mores boni Gothorum. 17
Mulieres in bello apud Gothos adhibitæ. 14
Mulierum Gothicar. fortitudo. 17

N.
Natatio Gothorum. 17
Naves Gothor. 17
Navigatio eorum. 16
Nobilitas Gothica. 35

P.
Parentum amor erga liberos Goth. 17
Pietas liberorum erga Parentes Goth. 17
Pillukſztei Pruſſorum. 31
Pœnam pro varietate Criminis apud Gothos variant. 35
Potus pro mortuis. 31
Præſagia varia apud Goth. 26. 27
Pruſſorum hoſpitalitas. 18
varii Sacerdotes. 28

Q.
Quadorum ſacra. 25
Quercus Romoveana. 24

R.
Reges Gothorum pro Legatis adhibiti. 33
eorum electio. 34
regimen. 32
reditus. 33
Currus Regii. 34
Regii Sanguinis apud Gothos æſtimatio. 35
Regum Catalogus Goth. 35
Religioſitas Gothorum. 17
Reſpublica Gothorum. 32
Peucinorum. 34
Fennorum. 34
Æſtiorum. 34
Reſurrection. mortuor. crediderunt Goth. 32
Ritus Sacri Gothorum. 24

S.
Sacerdotum Auctoritas apud Gothos. 33
Sacra Gothica. 19
Scientia Gothorum. 29
Sennonum Sacra. 25
Sortium ratio apud Gothos. 26
Svevorum centum pagi. 3

T.
Temperantia Theodorici Goth. Reg. 19
Templum DEI quid? 24
Temporis ratio apud Goth. 29
Theodorici Goth. Reg. corporis ſtrues. 3
Theologia Gothorum. 23
Teutones diſtincti a Germanis. 1
Tumulandorum corpor. ritus apud Goth. 31
Tumuli varii in Polonia Pruſſia. 31

V.
Venationes Gothorum. 15
urſorum. 15
Veſtes ſacrificulorum Goth. 28
Victimas feriendi modus apud Gothos. 26
Vinum Gothi non curabant. 7
Virtutes & Vitia Gothorum. 17. 18

Z.
Zemela Pruſſorum DEa. 22

Errata Lib. VI. Orbis Gothici.

Pag. II. lin. 8. τῶν. 9. intelligit. 10. qui hujusmodi. 16. pro *Inde* leg. Idem. III. 35. ligulæ. 38. ſuccifio.-hirta. 43. areana. IV. 3. maſcula. 36. barbârum. 40 levigant, V. 24. Maſlegetharum. 26. Pupertatem. 29. perluuntur. 37. ferarum. VII. 5. agreſtia. IX. 33. pugnandi. X. 20. maximam inter ſuos ferebant laudem. XI. 3. pavebant pro juvabant. 17. Gothicarum. 22. Argonautic. XII. 24. acquirere. 39. ornant. XIII. 37. vinci. XV. 22. pro darantes leg. durant. XVI. 24. coriis. 24. Navigandi. XVII. commiſſæ. 43. agnata. XVIII. 2. popoſceris. 4. monſtrator. 10. probrum. XIX. 22. Rer. 28. Is Romam. 37. tantam. XX. 3 Atheas. XXI. 32. Viterbiens. 46. Romanos. XXII. 23. Zemeluks. XXIII. 3. vere. 10. leg. Sus & Aper. qui. 24 Lelum Polelum. XXIV. 18. Regulo. 24. Aprorum. XXVII. 13, leg. quauquam in Gallica gente acceptum fuerit. XXVIII 41. Weidelottæ. 46. Seitones. XXIX. 1. warsźkaiti. 21. Aegyptiorum. 34. Livis. libr. 7. Hiſt. Rom. XXX. 2. Caſtum nemus. 13. Lelus, Polelus. 19. Meletius, Murinius. 21. peragebatur. XXXI. 4. humum. 33. lagena. 40. Linguſtorum, XXXIII. 41. incompte. XXXVI. 27. Lesgewang. XXXVII. 15. Decebalus. 31. Hunimundum. 35. Fridigernus. XXXVIII. 12. nupſit ſequenti qui erat *in Vitiges.* 43. exdulſis. XL. 37. Gartias. XLII. 12. Angliæ Regis filio *Arturo.* 16. Impp. Rom.

Cætera Sphalmata in Punctis, inciſis, majoribus, minoribus literis benevolus Lector ipſe corriget.

SOLI DEO GLORIA.

(o)

LUBLIN